AUTHOR:

WISKEMANN, HEINRICH

TITLE:

COMMENTATIO DE VETERUM ORATIONE...

PLACE:

HERSFELD

DATE:

1843

Master Negative #

93-81213-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

887 .Z3	Wiskemann, Heinrich. 1810- Dissertation
	Commentatio de veterum oratione translata, sive figurata. Hersfeld 1843. Sq.Q. 52 p.
	Hersfeld (Ger.) gymnasium. Jahresbericht.
74824	No. 4 of a volume of pamphlets.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm
REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 3-25-93
INITIALS BF
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

JAHRESBERICHT

ÜBER DAS

KURFÜRSTLICHE GYMNASIUM

ZU HERSFELD,

WOMIT

ZU DEN AM 3., 4. & 5. APRIL ZU HALTENDEN

ÖFFENTLICHEN PRÜFUNGEN UND SCHULFEIERLICHKEITEN

EINLADET

DER DIRECTOR DES GYMNASIUMS

Dr. Wilhelm Münscher.

VORAN GEHT

COMMENTATIO DE VETERUM ORATIONE TRANSLATA SIVE FIGURATA.

SCRIPSIT

Dr. HENRICUS WISKEMANNUS,

GYMNASII PRAECEPTOR ORDINARIUS.

HERSFELD,

DRUCK UND PAPIER VON FLORENTIN SCHUSTER.

1843.

Quum duo sint dicendi genera, unum, quod propria, alterum, quod translata [1]) sumit vocabula, illud quidem maxime in sermone quotidiano, tum in iis disciplinis locum habet, ubi sua cuique rei appellatio prorsus respondeat conveniatque necesse est. Quis est enim, qui vel in demonstrandis rebus mathematicis, vel in docendis iis philosophiae partibus, quae nudam ac simplicem desiderant expositionem, vel denique in tradendis aliis permultis doctrinis, quibus vitae necessitates aut actiones continentur, vocabulorum qualemcumque ferat immutationem traductionemque? At vero, dum haec ratio in prima verborum significatione utiliter subsistit, propterea quod hic vel levis quaedam a primo vocis cujusdam sensu aberratio falsam menti informaret cogitationem, alterum contra genus dicendi, ex quo ea nascitur oratio, quam Veteres figuratam sive translatam dixerunt, quodque nunc necessitatis causa, si res quaedam nomine suo caret, nunc delectationis adsciscitur [2]), id

---

[1]) Utrumque genus Trypho grammaticus *περὶ τρόπων* ed. Walz. Rhet. gr. Vol. VIII. p. 728, 3 sqq. ita describit: „*τῆς δὲ φράσεως εἴδη εἰσὶ δύο, κυριολογία τε καὶ τρόπος. Κυριολογία μὲν οὖν ἐστὶν ἡ διὰ τῆς πρώτης θέσεως τῶν ὀνομάτων τὰ πράγματα σημαίνουσα. — Τρόπος δέ ἐστι λόγος κατὰ παρατροπὴν τοῦ κυρίου λεγόμενος κατά τινα δήλωσιν κοσμιωτέραν ἢ κατὰ τὸ ἀναγκαῖον.*“ Quintiliani de translata oratione verba exstant Institut. Orat. 8, 6, 1: »Tropus est verbi vel sermonis a propria significatione in aliam cum virtute mutatio«.

[2]) Cf. Cic. de or. 3, 38: »Tertius ille modus transferendi verbi late patet, quem necessitas genuit, inopia coacta et angustiis, post autem delectatio jucunditasque celebravit. Nam ut vestis frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem, sic verbi translatio instituta est inopiae causa, frequentata delectationis.« Vd. omnino Ernesti. lexic. tech. lat. rhet. v. translatio.

quod a poëtis et oratoribus saepissime factum videmus, aut singula verba a vera sua potestate deflectit aut totius loci sententiam immutat. Illa quidem translationis species, quae ex inopia sermonis originem ducit, et posteriore et ipsa propria oratione antiquior est, quippe quae in juvenilem populorum aetatem maxime conveniat ibique saepissime deprehendatur. Quemadmodum enim infantuli in vocabulorum inopia, si nihilo secius animi sensa proferre gestiunt, rerum inter se similitudinibus ducti, si proprias voces ignorant, alienas ad id, quod praesens est, accommodant, sic multo magis etiam populorum infantia primum rerum species ac motus earumque sonos et quae ceteri sensus suggerunt, excipit et imitatur. Quae cujusque linguae principia et primordia quum parum valeant ad animi sensa mentisque cogitata exprimenda, permultae translationes continuo fiant necesse est, siquidem ea verba, quae ab initio res sensibus subjectas declarabant, non ita multo post ad mentem sunt transferenda. [1]) Ex quo efficitur, quo rudior atque incultior aliqua lingua est, eo saepius vocabula immutari, et vicissim, quo perfectior ac copiosior, eo rarius illam transferendi incidere necessitatem. Jam si in locupletissima quaque lingua perraro ob sermonis egestatem a prima et propria verborum significatione declinare necesse est, eo magis ibidem altera illa translatio, delectationis causa facta, frequentari solet atque celebrari. Quod unde eveniat, jam Cicero, apud quem omnino de transferendi consuetudine ac modis egregia exstant praecepta, [2]) his verbis interpretatus est: [3]) — „in suorum verborum maxima copia tamen homines aliena multo magis, si sunt ratione translata, delectant. Id accidere credo, vel quod ingenii specimen est quoddam, transilire ante pedes posita, et alia longe repetita sumere; vel quod is, qui audit, alio ducitur cogitatione, neque tamen aberrat, quae maxima est delectatio; vel quod singulis verbis res ac totum simile conficitur; vel quod omnis translatio, quae quidem sumta ratione est, ad sensus

[1]) Festive de hac re, ut aliorum judicia, quae hic afferre possem, omittam, J. P. Fr. Richter. in Vorschule der Aesthetik t. II. p. 24 ed. Reim. Berol. 1827 judicat: „die Metaphern waren, wie bei Kindern, nur abgedrungene Synonymen des Leibes und Geistes. Wie im Schreiben Bilderschrift früher war als Buchstabenschrift, so war im Sprechen die Metapher, insofern sie Verhältniße und nicht Gegenstände bezeichnet, das frühere Wort, welches sich erst allmählig zum eigentlichen Ausdruck entfärben mußte. Das tropische Beseelen und Beleiben fiel noch in Eins zusammen, weil noch Ich und Welt verschmolz. Daher ist jede Sprache in Rücksicht geistiger Beziehungen ein Wörterbuch erblaßter Metaphern."

[2]) De orat. 3, 38 — 43.

[3]) Ib. 40; cf. Arist. Rhet. 3, 2: „πάντες — μεταφοραῖς διαλέγονται" et ibid. „καὶ τὸ σαφὲς, καὶ τὸ ἡδὺ, καὶ τὸ ξενικὸν ἔχει μάλιστα ἡ μεταφορά."

ipsos admovetur, maxime oculorum, qui est sensus acerrimus." Nec vero Cicero solus, sed et ante et post eum multi sophistae et rhetores et philosophi exstiterunt, qui aut data opera aut in transcursu de translationibus, quas Graeci μεταφορὰς sive τρόπους vel τρόπας [1]) vocant, et de iis orationis formis, quas Latini figuras, [2]) Graeci σχήματα appellarunt, quae propinqua cum translationibus junctae sunt cognatione, explicarent. [3]) Nihilo tamen secius etiam Quintiliani [4]) aetate magna de translationum sive troporum et figurarum natura ac differentia et grammaticorum et philosophorum pugna erat atque dissensio. Ipse Quintilianus, cujus lata de tropis [5]) ac figuris [6]) est disputatio, quanquam

[1]) De hac forma cf. Mützell. de translationum quae vocantur apud Curtium usu. Insunt veterum Grammaticorum de translatione aliisque tropis praecepta. Berol. imp. Dunck. et. Humblot. 1842, p. 3.

[2]) Primus hoc vocabulo Quintilianus usus est, postquam Cicero quidem de opt. gen. orat. 5 verecundius dixit: „Sententiis iisdem et earum formis, tanquam figuris."

[3]) Probabile est, jam Coracem, Tisiam, Gorgiam, Thrasymachum, Theodorum Byzantinum, Evenum, Polum, Licymnium, Protagoram, Antiphonem, Isocratem, Alcidamam, Zoilum, Theodecten, Philiscum, Lysiam, Isaeum (cf. Plut. X orat. vit. p. 246 ed. Hutt.), de quorum scriptis rhetoricis (τέχνη) Westermannus: Geschichte der Beredsamkeit in Griechenland und Rom p. 138 sqq. comparandus est, in hoc argumento hic illic versatos esse. Porro huc referendi sunt Aristoteles, cujus altera tamen ad Alexandrum rhetorica, quantum conjectura assequi licet, Anaximini auctori adscribenda est, Demetrius Phalereus περὶ ἑρμηνείας (cf. Westerm. l. l. p. 160), Lesbonax περὶ σχημάτων, quem cave permutes cum ejusdem nominis grammatico natu majore, Gorgias Atheniensis περὶ σχημάτων διανοίας καὶ λέξεως, quem libellum aevo Augusteo Rutilius Lupus interpretatus est, Eranius Philo περὶ διαφορᾶς σχημάτων, Herodianus περὶ σχημάτων, Gregorius Corinthius περὶ τρόπων, Trypho περὶ τρόπων, Dionysius Halicarnassensis Apollodorus Pergamenus, Hermogenes Tarsensis, Apollonius Dyscolus, Alexander Numenius περὶ τῶν τῆς διανοίας καὶ περὶ τῶν τῆς λέξεως σχημάτων, Anonymus Sophista περὶ ποιητικῶν τρόπων, Tiberius περὶ τῶν παρὰ Θημοσθένει σχημάτων, Longinus, Anonymus περὶ συνεκδοχῆς, Moschopuli nomine a Titzio editus, Georgius Choeroboscus. Inter Romanos hic mihi nominandi sunt Cicero, Quintilianus, Rutilius Lupus, Aquila Romanus et Julius Rufinianus, quorum uterque de figuris sententiarum et elocutionis scripsit, Donatus, Charisius, Diomedes, Claudius Sacerdos, Isidorus Originum lib. 20 et de differentiis s. proprietate verborum. Accedunt ex Quintiliano l. l. 9, 2, 101 Celsus, Visellius, (ib. 1, 2) C. Artorius Proculus. — Recentiorum, ut ne hoc quidem taceam, inprimis G. J. Vossius (oratoriae institutiones), Soarius (de arte rhetorica), Scaliger (poetice) memoratu sunt digni.

[4]) Quint. l. l. 8, 6, 1.

[5]) L. 8, 6 usq. ad fin.

[6]) L. 9.

utraque separari voluit, tamen in ipsa explicatione parum sibi constat, nec raro est,[1]) ubi de hac vel illa figura aut tropo dubius haereat. Melius, quid inter *τρόπους* et *σχήματα* interesset, jam Cicero[2]) perspexerat. Recentiorum Ernesti,[3]) ut par fuit, tropos et figuras disjunxit, nec minus Vossius[4]), sed idem, quum subjungat: „Plerique tamen rhetorum, schematis vel figurae voce latius utentes, sub ea tropos complectuntur," qui nuper de figuris orationis, quae a comparatione rerum petuntur,[5]) disputavit, virum doctum, Guiliel. Kroegerum, hoc inprimis additamento in fraudem induxit, ut nihil prorsus inter *τρόπον* et *σχῆμα* differre sibi persuaderet. Quam sententiam suam etiam his Alexandri Rhetoris verbis confirmari arbitratus est: „*σχῆμα ἐστὶν ἐξάλλαξις λόγου ἐπὶ τὸ κρεῖττον κατὰ λέξιν ἢ κατὰ διάνοιαν ἄνευ τρόπου*," id quod secus est. Nam ultima verba „*ἄνευ τρόπου*," quibus adjectis illam definitionem latiorem reddi vir doctus censuit, tantum abest, ut temere subjuncta sint, ut vel maxime auctoris mentem aperiant, siquidem *ἐξάλλαξις* non est immutatio sensu rhetorico, sed talis verborum mutatio, qualis vel grammaticis vel rhetoricis figuris orationi infertur, ita ut illorum verborum hic evadat sensus: figura est vel sententiae vel dictionis in melius mutatio sine immutatione vel translatione i. e. ut non fiat immutatio vel translatio. Quibus postremis verbis auctor, id quod, si quis acrius rem intuetur, ex ipsa translationum et figurarum natura apparet, satis luculenter docet, *τρόπους* disparandos esse a *σχήμασιν*. Quo discrimine sublato, v. d. in ea descriptione, quam disputationi suae praemisit, figuras et translationes inter se permiscuit omninoque aliam totius libelli partitionem fecit, quam facturus erat, si utrasque discriminasset,[6]) quamquam hoc meo judicio de eruditionis ac diligentiae laude, quam

---

[1]) Cf. Quint. l. l. 9, 1, 2.
[2]) Cf. Brut. 17; orat. 54.
[3]) Lex. tech. lat. rhet. v. figura.
[4]) Inst. Orat. 4, 5, 1.
[5]) Marburgi, 1841.
[6]) Eo magis demiror, v. d. quidquam inter transl. et fig. interesse negasse, quum ipse statim ab initio Quintiliani, quae huc apprime faciunt, attulerit verba: »Mutant (figurae) aliquid e recto et hanc prae se virtutem ferunt, quod a consuetudine vulgari recedunt.« Inst. Or. 2, 13, 11. Ex hoc loco elucet, figuras grammaticorum potius esse quam rhetorum, quum vicissim horum sit, tropos explicare. Itaque verba e recto in figurae et a propria significatione in tropi definitione, quae quid differant, non satis patere v. d. opinatur, eodem modo illa de regulis grammaticis, haec de vocabulorum sensu interpretanda sunt, quamquam ipse Quintilianus, quae semel recte posuerat, postmodo l. 8, 6, 2 — perperam mutat, nec hic nec l. 9, 1 sqq. sibi satis constat.

materia difficili tractanda ipse meruit, quidquam detractum minime velim. Sed ne Mützellius quidem, vir doctus, quem jam supra laudavi, mihi omnibus partibus satisfecit. Qui quum grammaticorum ac rhetorum de translatione, catachresi, emphasi, similitudine, synecdoche, metonymia sententias diligentissime collegerit chartisque mandaverit, tamen vinculum aliquod, quo omnes translationis species quasi adstrictae tenerentur, invenire supersedit. Unde factum est, ut compluria troporum genera ab ipso praetermissa desiderentur et praeterea ignoretur, quae eorum, quos sibi sumpsit explicandos, sit ratio atque cognatio, vel, ut cum Quintiliano loquar, quae sint genera, quae species, qui numerus, qui cuique subjiciatur. Quem scopulum ut equidem, quoad ejus fieri potest, evitem, etiamsi alia fortasse via ad rem accedere liceat, tamen, quia nunc omnino de antiquis scriptoribus judicium faciendum est, Veteres sequar duces interque eos inprimis Aristotelem, cujus unus in Poetice[1]) locus, quem Mützellius memoravit quidem, sed non interpretatus est, et unde hac in re proficiscendum sit et quae primariae translationis ponendae sint species, indicare videtur. Summi philosophi verba sunt haecce: — „*μεταφορὰ δέ ἐστιν ὀνόματος ἀλλοτρίου ἐπιφορά, ἢ ἀπὸ γένους ἐπὶ εἶδος, ἢ ἀπὸ εἴδους ἐπὶ γένος, ἢ ἀπὸ εἴδους ἐπὶ εἶδος, ἢ κατά τὸ ἀνάλογον. Λέγω δὲ ἀπὸ γένους μὲν ἐπὶ εἶδος, οἷον,*

νηῦς δέ μοι ἥδ' ἕστηκε[2]).

τὸ γὰρ ὁρμεῖν ἔστιν ἑστάναι τι. ἀπὸ εἴδους δὲ ἐπὶ γένος·

ἦ δὴ μυρί' Ὀδυσσεὺς ἐσθλὰ ἔοργε[3]).

τὸ γὰρ μυρίον πολύ ἐστιν, ᾧ νῦν ἀντὶ τοῦ πολλοῦ κέχρηται. ἀπ' εἴδους δὲ ἐπ' εἶδος, οἷον,

χαλκῷ ἀπὸ ψυχὴν ἐρύσας,

καί,

τάμ' ἀτειρέϊ χαλκῷ.

ἐνταῦθα γὰρ τὸ μὲν ἐρύσαι ταμεῖν· τὸ δὲ ταμεῖν ἐρύσαι εἴρηται. ἄμφω γὰρ ἀφελεῖν τι ἔστι. τὸ δὲ ἀνάλογον λέγω, ὅταν ὁμοίως ἔχῃ τὸ δεύτερον πρὸς τὸ πρῶτον, καὶ τὸ τέταρτον πρὸς τὸ τρίτον. ἐρεῖ γὰρ ἀντὶ τοῦ δευτέρου τὸ τέταρτον, ἢ ἀντὶ τοῦ τετάρτου τὸ δεύτερον. καὶ ἐνίοτε προςτιθέασιν ἀνθ' οὗ λέγει πρὸς ὅ ἐστι· λέγω δὲ οἷον, ὁμοίως ἔχει φιάλη πρὸς Διόνυσον, καὶ ἀσπὶς πρός Ἄρην. ἐρεῖ τοίνυν καὶ τὴν ἀσπίδα φιάλην Ἄρεως, καὶ τὴν φιάλην ασπίδα Διονύσου. ἔτι, ὁμοίως ἔχει ἑσπέρα πρὸς ἡμέραν, καὶ γῆρας πρὸς βίον. ἐρεῖ τοίνυν

---

[1]) C. 21, 7.
[2]) Odyss. 1, 185; 24, 307.
[3]) Iliad. 2, 272.

τὴν ἑσπέραν γῆρας ἡμέρας· καὶ τὸ γῆρας ἑσπέραν βίου, ἤ, ὥςπερ Ἐμπεδοκλῆς, δυσμὰς βίου. ἐνίοις δ' οὐκ ἔστιν ὄνομα κείμενον τῶν ἀναλόγων, ἀλλ' οὐδὲν ἧττον λεχθήσεται· οἷον, τὸ τὸν καρπὸν μὲν ἀφιέναι σπείρειν· τὸ δὲ τὴν φλόγα ἀπὸ τοῦ ἡλίου ἀνώνυμον. ἀλλ' ὁμοίως ἔχει τοῦτο πρὸς τὸν ἥλιον, καὶ τὸ σπείρειν πρὸς τὸν καρπόν. διὸ εἴρηται·

σπείρων θεοκτίσταν φλογα.

ἔστι δὲ τῷ τρόπῳ τούτῳ τῆς μεταφορᾶς χρῆσθαι καὶ ἄλλως, προςαγορεύσαντα τὸ ἀλλότριον, ἀποφῆσαι τῶν οἰκείων τι· οἷον, εἰ τὴν ἀσπίδα εἴποι φιάλην μὴ Ἄρεως, ἀλλ' ἄοινον. ***

Proficiscitur igitur Aristoteles a *μεταφορᾶς* notione, quae quidem vox a *μεταφέρειν* ducta, satis luculenter declarat, ubicunque hic tropus deprehendatur, ibi semper vocabuli, quale id cunque est, mutari significationem, id quod Latini translationem dixere. At enim non de una aliqua translatione philosophus h. l. exponit, quae, ut Quintiliani [1]) 'fert sententia, frequentissima ac pulcherrima est et qua indocti quoque ac non sentientes saepissime utuntur, — dicit enim rhetor eam translationem, quae ut synecdoche et metonymia species non genus est, — sed de generali aliqua transferendi ratione, cui reliqui *τρόποι* subjecti sunt omnes. Nam in altero illo traducendi modo, qui *ἀπὸ εἴδους ἐπὶ γένος* fit, eam translationem, quam Graeci *συνεκδοχήν*, Romani intellectionem sive comprehensionem appellare consueverunt, latere, quis est, quin videat? Nam etsi Aristoteles hac ipsa voce, utpote serioribus demum frequentata grammaticis, non utitur, tamen non solum versu Homerico in exemplum adjecto:

ἦ δὴ μυρί' Ὀδυσσεὺς ἐσθλὰ ἔοργε,

sed etiam iis verbis, quibus notionis ambitum, quem dicunt, definit, synecdochen intelligendam esse ostendit. De quo tropo quum rhetorum judicia, si singula verba explores, maxime inter sese discordent, at in summa certe et in eo, quod nunc agitur, egregie concinunt. Quapropter, omissis ceteris quidem de comprehensione locis, quos omnes Mützellius [2]) accurate perscripsit, unius tantum Anonymi *περὶ συνεκδοχῆς*, quae apud Walzium [3]) exstant, hic apponam verba: „ἡ μὲν ἀπὸ ὅλου δηλοῖ τὸ μέρος· ἡ δὲ ἀπὸ μέρους τὸ ὅλον· ἡ δέ ἀπὸ τῆς ὕλης τὸ ἀποτέλεσμα· ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ ἑπομένου συμβαίνοντος τὸ προηγούμενον· ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ συμβόλου τὸ κύριον· ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ προηγουμένου τὸ ἀκόλουθον· ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ ἀκολούθου τὸ προηγούμενον· ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ γένους τὸ εἶδος· ἡ δε ἀπὸ εἴδους τὸ γένος·

1) L. l. 8, 6, 4.
2) L. l. p. 12 sqq.
3) L. l. Vol. VIII, p. 691.

ἡ δὲ ἀπὸ τῶν πολλῶν τὸ ἕν· ἡ δὲ ἀφ' ἑνὸς τὰ πολλά· ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ περιέχοντος τὸ περιεχόμενον· ἡ δὲ ἀπὸ τοῦ περιεχομένου τὸ περιέχον.“ Hunc locum idcirco potissimum exscripsi, et quia omnium plurimas synecdoches virtutes, numero tredecim, continet, et quia ipsa illa Aristotelis verba hic recurrere videmus. Consequitur inde, id quod supra statuimus, alteram illam *μεταφορᾶς* speciem ad synecdochen pertinere, quae, quum non solum *ἀπὸ εἴδους ἐπὶ γένος*, sed etiam *ἀπὸ γένους ἐπὶ εἶδος* dicat, simul primam translationis speciem complectitur, cujus Aristoteles hoc supra posuit exemplum:

νηῦς δέ μοι ἥδ' ἕστηκε.

Ne quis objiciat, intellectionem, id quod sane plerumque fieri assolet, ad sola substantiva aut adjectiva respicere, et ea consideret, quae infra de comparatione in medium proferam, et hoc Ciceronis [1]) de nostro tropo perpendat judicium: „cui [2]) sunt finitima illa minus ornata, sed tamen non ignoranda, quum intelligi volumus aliquid, aut ex parte totum — aut ex toto partem — aut quum ex pluribus intelligitur unum — aut quocunque modo, non ut dictum est, in eo genere intelligitur, sed ut sensum est.“ Comprehensioni vero, cujus species modo descripsi, quaque, ut rem exemplis illustrem, Romanus pro Romanis, sexcenti pro permultis, parietes aut tecta pro aedificiis, Cicero pro oratore, et contra, quadrupes pro equo, scalae pro scalae gradibus, ferrum pro gladio dicitur, jungenda est *ἔμφασις* sive significatio et *ὑπερβολή* sive superlatio, in quarum utramque synecdoche et hic illic metonymia quoque, de qua paulo post verba faciam, excurrere consuevit. Illa quidem, quam Cicero, [3]) auctor ad Herennium, [4]) Quintilianus [5]) aliique [6]) depingunt, id habet proprium, ut rem aliquam cum vi ac gravitate enuntiet, qua de re haud inepte a Quintiliano pondus [7]) dicitur, haec vero in oratione

1) De orat. 3, 42, 168.
2) Intell. ex antecedentibus id dicendi genus, quum inflexo commutatoque verbo res eadem enuntiatur ornatius, i. e. *μετωνυμίαν*.
3) De orat. 3, 53: »plus ad intelligendum, quam dixeris, significatio;« cf. id. orat. 40.
4) L. 4, 53: »significatio est, quae plus in suspicione relinquit quam positum est in oratione. Ea fit per exsuperationem, ambiguum, consequentiam, abscissionem, similitudinem etc.«
5) L. l. 8, 3, 83; 9, 2, 64.
6) cf. omnino Mützell. l. l. p. 9. sqq.
7) Cf. Ernesti lex. tech. lat. rh. p. 293.

veritatem superante cernitur et augendi minuendive causa [1]) sumitur. Attamen ἔμφασις sive ἐνέργεια et ὑπερβολὴ pro natura sua non semper in translationum numero habentur, imo vero significatio plerumque ad figuras est releganda. [2]) Sed de synecdoche satis dictum est. — Devenio jam ad tertium transferendi modum, qui ex Aristotelis praecepto *ἀπὸ εἴδους ἐπὶ εἶδος* fit et his exemplis ab ipso illustratur:

χαλκῷ ἀπὸ ψυχὴν ἐρύσας

et

τάμ' ἀτερέϊ χαλκῷ.

Quamvis hic locus in libris manuscriptis sit corruptissimus et haec ipsa exempla neque in Homero, unde sumpta videri possint, neque usquam alibi, quod equidem sciam, inveniantur, tamen si universam utriusque exempli vim spectes, qua occidendi notio in *ἀπὸ ψύχην ̓ἐρύσαι* et *ταμεῖν χαλκῷ* inesse videtur, jure unum cum altero permutari poterit et, nisi egregie fallor, Aristoteles nihil aliud quam *μετωνυμίαν*, Latinis denominationem appellatam, per quam una vox in alterius locum variis de caussis subornatur, in mente habet. Quae conjectura etiam his Ciceronis, dum de denominationis natura fusius explicat, [3]) verbis videtur stabiliri: „Mutata [4]) (ea dico), in quibus pro verbo proprio subjicitur aliud, quod idem significet, sumptum ex re aliqua consequenti. Quod quamquam transferendo fit, tamen alio modo transtulit, quum dixit Ennius **a r c e** et **u r b e** **o r b a m** [5]): et alio modo, si pro patria **a r c e m** dixisset: et **h o r r i d a m A f r i c a m t e r r i b i l i t r e m e r e t u m u l t u** quum dicit, pro Afris immutat Africam. Hanc *ὑπαλλαγὴν* rhetores, quia quasi summutantur verba pro verbis: *μετωνυμίαν* Grammatici vocant, quod nomina transferuntur.

---

[1]) Cf. Cic. de orat. 3, 53; auct. ad Herennium 4. 33. Quint. l. l. 8, 6, 67: „Est haec decens veri superjectio. — Fit pluribus modis. Aut enim plus facto dicimus — Aut res per similitudines attollimus — Aut per comparationem — Aut signis quasi quibusdam — Vel translatione.“ Cf. Arist. Rhet. 3, 11: *„Εἰσὶ δὲ καὶ εὐδοκιμοῦσαι ὑπερβολαὶ, μεταφοραί· οἷον εἰς ὑπωπιασμένον. Ὠήθητε γὰρ αὐτὸν εἶναι συκαμίνων τάλαρον· ἐρυθρὸν γάρ τι τὸ ὑπώπιον.“*

[2]) De emphasi figura cf. Quint. 8, 3, 83 et Ernest. init. Rhetor. p. 165; de hyperb. Quint. 8, 3, 83.

[3]) Orat. 27.

[4]) Haud dubie h. l. lectio **i m m u t a t a** vulgatae praeferenda est, quippe quae vox et alias hanc rem designet.

[5]) In his verbis vera et propria, de qua infra plura disputabimus, inest translatio, verba autem, quae insequuntur, ubi pro patria **a r x** aut pro Afris **A f r i c a** dicitur, nostram ostendunt denominationem s. immutationem.

A r i s t o t e l e s a u t e m t r a n s l a t i o n i h a e c i p s a s u b j u n g i t.“ Postrema verba non dubitaverim ad nostrum Aristotelis locum referre, quum neque in ejusdem Rhetorica neque in Poetica immutationis praeterea mentio injiciatur. Quae si probabiliter disputata sunt, comprehensio sive intellectio primum et secundum, immutatio tertium sibi vindicat locum. Ejus species alii aliter recensent, dum modo duas, modo quatuor, modo quinque, alias sex, alias denique, ut auctor ad Herennium, septem constituunt traducendi causas. Haec sunt illius rhetoris [1]) de *μετωνυμίᾳ* verba: „Denominatio est, quae a propinquis et finitimis trahit orationem, qua possit intelligi res, quae non suo vocabulo sit appellata. Id aut ab inventore conficitur — aut ab invento, ut si quis pro Libero vinum, pro Cerere frugem appellet: aut ab instrumento dominum — aut id, quod fit, ab eo, qui facit — aut si, qui facit, ab eo, quod fit —. Ab eo, quod continet, id, quod continetur —. Ab eo, quod continetur, id, quod continet“ —. Praeter has immutationis species insuper alias permultas cogitari posse, et per se patet et ab Auctore ad Her. disertis verbis indicatur, ideo quod plena consuetudo est non modo poetarum et oratorum, sed etiam quotidiani sermonis hujusmodi denominationum. Jam si quis et hos et ceteros Veterum de immutatione et intellectione locos excutiat, in aperto est, grammaticos rem non ita confecisse, quin nonnulla illorum troporum genera inter sese commutentur ac prorsus confundantur, adeo ut modo synecdochae modo metonymiae perhibeantur subjecta esse, de qua tamen sententiarum discrepantia hic non attinet uberius disputare. At simul nos fugere non potest, in lata illa, quam grammatici invenerunt, immutationis definitione, complures alios tropos delitescere, etsi Veteres de iis alieno interpretati sunt loco. Primum enim iis, quae modo de immutatione ex Veteribus annotavimus, **a n t o n o m a s i a** [2]) comprehenditur, qui tropus aliquid pro nomine ponit, sive est **e p i t h e t o n**, ut in vocibus Tydides, Pelides, sive ex his, quae in quocunque sunt **p r a e c i p u a**, ut in

. . . . Divum pater atque hominum rex:

sive **e x f a c t i s**, quibus persona signatur, ut in

. . . . Thalamo quae fixa reliquit Impius. [3])

---

[1]) L. 4, 32; cf. de hoc tropo Mützell. l. l. p. 14 sqq.

[2]) Cf. Quint. 8, 6, 29.

[3]) Eodem ea vocabula pertinere, quae aut blanditiarum loco aut conviciorum in Veterum scriptis legantur, vix est, quod moneam. Illae sunt pauciores, ut **l u x**, **l u m e n**, **o c u l u s**, **v i t a**, **d e l i c i a e**, horum tota silva est et apud Graecos et apud Romanos. Quae imprimis apud comicos et Ciceronem invenio,

veritatem superante cernitur et augendi minuendive causa [1]) sumitur. Attamen ἔμφασις sive ἐνέργεια et ὑπερβολὴ pro natura sua non semper in translationum numero habentur, imo vero significatio plerumque ad figuras est releganda. [2]) Sed de synecdoche satis dictum est. — Devenio jam ad tertium transferendi modum, qui ex Aristotelis praecepto ἀπὸ εἴδους ἐπὶ εἶδος fit et his exemplis ab ipso illustratur:

χαλκῷ ἀπὸ ψυχὴν ἐρύσας

et

τάμ' ἀτερέϊ χαλκῷ.

Quamvis hic locus in libris manuscriptis sit corruptissimus et haec ipsa exempla neque in Homero, unde sumpta videri possint, neque usquam alibi, quod equidem sciam, inveniantur, tamen si universam utriusque exempli vim spectes, qua occidendi notio in ἀπὸ ψύχην ἐρύσαι et ταμεῖν χαλκῷ inesse videtur, jure unum cum altero permutari poterit et, nisi egregie fallor, Aristoteles nihil aliud quam μετωνυμίαν, Latinis denominationem appellatam, per quam una vox in alterius locum variis de caussis subornatur, in mente habet. Quae conjectura etiam his Ciceronis, dum de denominationis natura fusius explicat, [3]) verbis videtur stabiliri: „Mutata [4]) (ea dico), in quibus pro verbo proprio subjicitur aliud, quod idem significet, sumptum ex re aliqua consequenti. Quod quamquam transferendo fit, tamen alio modo transtulit, quum dixit Ennius arce et urbe orbam [5]): et alio modo, si pro patria arcem dixisset: et horridam Africam terribili tremere tumultu quum dicit, pro Afris immutat Africam. Hanc ὑπαλλαγὴν rhetores, quia quasi summutantur verba pro verbis: μετωνυμίαν Grammatici vocant, quod nomina transferuntur.

---

1) Cf. Cic. de orat. 3, 53; auct. ad Herennium 4. 33. Quint. l. l. 8, 6, 67: »Est haec decens veri superjectio. — Fit pluribus modis. Aut enim plus facto dicimus — Aut res per similitudines attollimus — Aut per comparationem — Aut signis quasi quibusdam — Vel translatione.« Cf. Arist. Rhet. 3, 11: „Εἰσὶ δὲ καὶ εὐδοκιμοῦσαι ὑπερβολαὶ, μεταφοραί· οἷον εἰς ὑπωπιασμένον. Ὠήθητε γὰρ αὐτὸν εἶναι συκαμίνων τάλαρον· ἐρυθρὸν γάρ τι τὸ ὑπώπιον.“

2) De emphasi figura cf. Quint. 8, 3, 83 et Ernest. init. Rhetor. p. 165; de hyperb. Quint. 8, 3, 83.

3) Orat. 27.

4) Haud dubie h. l. lectio immutata vulgatae praeferenda est, quippe quae vox et alias hanc rem designet.

5) In his verbis vera et propria, de qua infra plura disputabimus, inest translatio, verba autem, quae insequuntur, ubi pro patria arx aut pro Afris Africa dicitur, nostram ostendunt denominationem s. immutationem.

Aristoteles autem translationi haec ipsa subjungit.“ Postrema verba non dubitaverim ad nostrum Aristotelis locum referre, quum neque in ejusdem Rhetorica neque in Poetica immutationis praeterea mentio injiciatur. Quae si probabiliter disputata sunt, comprehensio sive intellectio primum et secundum, immutatio tertium sibi vindicat locum. Ejus species alii aliter recensent, dum modo duas, modo quatuor, modo quinque, alias sex, alias denique, ut auctor ad Herennium, septem constituunt traducendi causas. Haec sunt illius rhetoris [1]) de μετωνυμίᾳ verba: „Denominatio est, quae a propinquis et finitimis trahit orationem, qua possit intelligi res, quae non suo vocabulo sit appellata. Id aut ab inventore conficitur — aut ab invento, ut si quis pro Libero vinum, pro Cerere frugem appellet: aut ab instrumento dominum — aut id, quod fit, ab eo, qui facit — aut si, qui facit, ab eo, quod fit —. Ab eo, quod continet, id, quod continetur —. Ab eo, quod continetur, id, quod continet“ —. Praeter has immutationis species insuper alias permultas cogitari posse, et per se patet et ab Auctore ad Her. disertis verbis indicatur, ideo quod plena consuetudo est non modo poetarum et oratorum, sed etiam quotidiani sermonis hujusmodi denominationum. Jam si quis et hos et ceteros Veterum de immutatione et intellectione locos excutiat, in aperto est, grammaticos rem non ita confecisse, quin nonnulla illorum troporum genera inter sese commutentur ac prorsus confundantur, adeo ut modo synecdochae modo metonymiae perhibeantur subjecta esse, de qua tamen sententiarum discrepantia hic non attinet uberius disputare. At simul nos fugere non potest, in lata illa, quam grammatici invenerunt, immutationis definitione, complures alios tropos delitescere, etsi Veteres de iis alieno interpretati sunt loco. Primum enim iis, quae modo de immutatione ex Veteribus annotavimus, antonomasia [2]) comprehenditur, qui tropus aliquid pro nomine ponit, sive est epitheton, ut in vocibus Tydides, Pelides, sive ex his, quae in quocunque sunt praecipua, ut in

. . . . Divum pater atque hominum rex:

sive ex factis, quibus persona signatur, ut in

. . . . Thalamo quae fixa reliquit Impius. [3])

---

1) L. 4, 32; cf. de hoc tropo Mützell. l. l. p. 14 sqq.

2) Cf. Quint. 8, 6, 29.

3) Eodem ea vocabula pertinere, quae aut blanditiarum loco aut conviciorum in Veterum scriptis leguntur, vix est, quod moneam. Illae sunt pauciores, ut lux, lumen, oculus, vita, deliciae, horum tota silva est et apud Graecos et apud Romanos. Quae imprimis apud comicos et Ciceronem invenio,

Deinde recte huc trahi censeo eum tropum, quo aliquid ponitur, ex quo gradatim in alterius rei consequentis veniatur cognitionem, ut Graeci centaurum Chironem et *νήσους θοὰς ὀξείας* vocant, dico *μετάληψιν*. Aptum in hanc rem exemplum Virgilius [1]) praebet:

Post aliquot mea regna videns mirabor aristas

---

sunt asinus, quem omnes fere gentes hoc honore dignatae sunt, canis, vervex, hircus, verres, vulturius, pecus, cuculus, femina et mulier de viro, turturilla de effeminato, pestis, bustum legum, bellua, lues, lutum, culex, cimex, versipellis, silicernium (a silex et cernere), malum, scelestus, impius, scelus, scelero s. scelio, odium hominum, flagitium hominis, sceleratus, tyrannus (Cic. p. Mil.), stimulorum seges, mastruca, illuvies, rusticus, hara suis, Charybdis bonorum, gurges, lurco, sacrilegus, carnifex, monstrum, excetra (ab ἔχις et κῆτος) lapis, caudex, stipes, plumbeus, frutex, mastigia, statua verberea, sterquilinium, pernicies, latro, scortum (cf. Plaut. capt. 1, 1, 1), peniculus (ibid. Men. 1, 1, 1), scurra, tenebrae, sordes, stercus curiae, syrtis patrimonii, praedo, furia, proditor, putida caro, truncus, vecors et amens, heluo, praevaricator, sicarius, scopulus reipublicae, vorago, homullus, ex argilla et luto fictus Epicurus, idiota, admissarius, infelix, hostis, purgamentum, striga, strix (de hoc nomine maleficis mulieribus, quas volaticas etiam vocant, indito cf. Fest. p. 314 ed. Od. Muell.), schoeniculae, scrantiae, scrupedae, stritabillae, meretrix, lupanar, sentina, impudicus, verbero, bustirapus, furcifer, sociofraudus, parricida, perjurus, legirupa, fur, fugitivus, fraus populi, fraudulentus, impurus, coenum. Haec posteriora mala apud Plaut. Pseud. 1, 3, 126 sqq. lenoni ingeruntur. Cf. de hac re Becker. Gallus t. 1 p. 332. Apud Graecos in maledictorum numero sunt, περίτριμμα δικῶν s. ἀγορᾶς, βωμολόχος, βουγάϊος et σαλάκων de homine vaniloquo et jactabundo, κίναδος de astuto, similiter παιπάλημα, παιπάλη, ἄλημα, τρίμμα; porro κύων, πίθηκος de deformi, κρόταλον et κώδων de garrulo, πόσθων, Κρόνος (cf. λῆμαι Κρονικαὶ et Κρονίων ὄζειν) et Ἰαπετὸς de eo, qui in opinionibus praejudicatis et quales priscos decebant, inhaerescit, similiter Κρονίδης, Κρόνιππος, Κρονόληρος, praeterea σορέλλην, σοροδαίμων, σοροπλὴξ, ψῆσσα, σορὸς, λοπάς; κοάλεμος, κόλλοψ de cinaedo et exoleto, Διονυσιοκόλακες Dionysii adulatores, sed Διονυσοκόλακες et Μουσοκόλακες de artificibus scenicis (cf. parasiti Phoebi seu Apollinis, Mart. 9, 29. Siculi comicos quosdam histriones sive φλύακας appellasse videntur gerrones cf. Fest. p. 40 ed Odof. Muell.), στόμφαξ s. στόμβος, μιαρὸς, κατάρατος, κάθαρμα, πανοῦργος, ὄνος πρὸς λύραν (s. λύρας s. ὄνος πρὸς αὐλόν). Quicunque Atticorum urbaniores dici haberique volebant, quem stolidum et fatuum dicere verebantur, leni blandoque nomine ἡδὺν, γλυκὺν, εὐήθη, χρηστὸν appellabant. Adde βέλτιστον, θαυμάσιον, ματαῖον, θειότατον.

1) Ecl. 1, 70.

i. e. post aliquot annos, nam gradatim ab aristis ad spicas, a spicis ad messes, ab his ad aestates, ab aestatibus ad annos acceditur. — Tertio loco mihi *περίφρασις* [1]) sive *μακρολογία*, quae, quum in vitium incidit, *περισσολογία* vocatur, memoranda est, quae nunc deformia operiundi causa, nunc in ornatum arcessitur, adeoque poëtis admodum frequentatur et ne apud oratores quidem rara, semper tamen astrictior invenitur. Propinqua cognatione cum periphrasi cohaerent *εὐφημισμὸς*, qui a Quintiliano *ἀντίφρασις* appellatur, [2]) quo Graeci utuntur, si rem quandam disertis verbis indicare horrent, ut pro *Ἐρινύες* dicunt *Εὐμενίδες*, *τὶ παθεῖν* pro mori, *Πόντος εὔξεινος* pro *ἄξεινος* aliaque similia; tum *εἰρωνεία* sive illusio [3]), *σαρκασμὸς*, *ἀστεϊσμὸς*, *παροιμία*, quae non solum allegoriae species sunt, id quod Quintilianus sibi persuadet, verum etiam ipsae troporum formam prae se ferunt, quin adeo, ut imprimis illusio, aliquando ad figuras descendunt. Locutiones quidem proverbiales ad metonymiam pertinere, est Aristotelis quoque sententia, qui in Rhet. [4]) ita disserit: „*Καὶ αἱ παροιμίαι μεταφοραὶ ἀπ' εἴδους ἐπὶ εἶδός εἰσιν·* [5]) *οἷον, ἄν τις ὡς ἀγαθὸν πεισόμενος αὐτὸς ἐπαγάγηται, εἶτα βλαβῇ, ὡς ὁ Καρπάθιός φησι τὸν λαγώ· ἄμφω γὰρ τὸ εἰρημένον πεπόνθασιν.*“ Ad immutationem interdum emphasin quoque et hyperbolen spectare, jam supra docui. Denique transitus quasi ad ea, quae insequuntur, per epitheton paratur, quo turpis egestas, tristis senectus et alia ejusmodi dicuntur; quod, etsi saepius tropus fit [6]) et traductioni a grammaticis plerumque subjicitur, tamen jam aliquatenus ad eam translationem, quae ex proportione nascitur, ad quam explicandam nunc me accingo, sese attollit.

Postquam adhuc in synecdoche et metonymia et quae utriusque sunt species, versati sumus, deinceps, eundem secuti ducem, ad eam metaphorae formam venimus, quam ex proportione Aristoteles nasci affirmat. In qua proportione, a Timotheo, teste Athenaeo, [7]) inventa, bina binis respondeant nec, ut plerique omnes grammatici in comparationibus

---

1) Quint. 8, 6, 59.
2) Ib. 57.
3) Ib. 54 „quae aut pronuntiatione intelligitur aut persona aut rei natura.“ Optime in ironiam alterum illud nomen inversionis convenit.
4) 3, 11.
5) Talia proverbia sunt e. g. σελλίνου δεῖται i. e. morti vicinus est, εἰς κόρακας, ἁλιὰν τρυπᾶν, quod est apud Pers. 5, 138 „digito terebrare salinum,“ κυάθους αἰτήσεις τάχα. Cf. Erasm. de Adag.
6) Nam alia ratio est, si poëtae ornatus causa dentes albi et humida vina dicunt (cf. Arist. 3, 3, 3), alia, qua pallida mors, hilaris adolescentia copulantur.
7) p. 433.

facere consueverunt, tres,[1]) sed quatuor res vel membra ponantur necesse est. Quorum secundum membrum se habet ad primum, ut quartum ad tertium adeoque hac formula noster docet pro secundo quartum et pro quarto secundum poni posse. Ut eadem exempla, quae Aristotelis locus supra laudatus exhibet, jam enucleatius exponam, similiter se habet:

patera ad Bacchum ut clypeus ad Martem

ergo dici potest:

clypeus est patera Martis

et

patera est clypeus Bacchi.

Porro similiter se habet:

vespera ad diem ut senectus ad vitam

ergo dicitur:

vespera est senectus diei

et

senectus est vespera vitae, vel ut Empedocles, occasus vitae.

Si interdum est, ut alterutra res proprio vocabulo destituatur, id quod in eo exemplo, quod Aristoteles tertio loco esse voluit, factum videmus, nihilo tamen secius, primo membro omisso, reliqua proportio recte constitui potest hac ratione:

— ad solem ut serere ad semen

ergo dici potest:

divinitus flammam serens.

Eadem translatione sive proportione denique, secundum Aristotelis interpretationem, ita uti licet, ut de propiis aliquid negetur inque ejus locum alienum quid inducatur, ut si quis clypeum vocaret pateram non Martis, sed pateram vel ornamentum sine vino.

Jam si harum comparationum implicationem enodare aggredimur, justam proportionem ex quatuor membris factam reperimus, quorum alterum rem quandam vel personam, primum id, quod illa res vel persona est vel habet vel facit vel patitur, quorum quartum iterum

---

1) Kroeger. quoque l. l. p. 8. hanc sententiam amplexatus est inque omni comparatione, quin adeo in exemplo ex Plinio desumto ep. 11, 1: Necesse est, tanquam immaturam ejus mortem defleam: tria membra, rem propriam, rem alienam et similitudinem s. tertium, quod dicunt, comparationis inesse sibi persuadet.

simillime rem vel personam, tertium ejus rei vel personae virtutem aliquam vel actionem vel passionem vel statum vel omnino conditionem significat. Sunt enim in exemplis supra allatis Bacchus, Mars, dies, vita, vel personae vel res, et vicissim, patera, clypeus, vespera, senectus, sunt talia, quae in illis rebus vel personis inhaerescunt; illae sunt res vel personae, hae sunt attributiones; illarum sunt notiones angustiores, harum sunt latiores, quippe quae et ad rem propriam et ad rem alienam referri debeant. Si quatuor illorum membrorum suo quodque utitur vocabulo, vel, ut accuratius dicam, si binarum illarum rerum, quae in quavis proportione debent adesse, utraque propriam suam denominationem habet, ordo dupliciter inverti potest, ut:

vespera est senectus diei

et

senectus est vespera vitae vel occasus vitae;

si contra primum membrum nomine caret, una tantum permutatio fieri potest, quae quidem permutatio, si plena est proportio, aut attributionum aut rerum dici potest. Ex quo sponte apparet, si primum membrum non denominatum est, ut in illo exemplo:

— ad solem ut serere ad semen,

— nam radios fundere, quod solis est, non tali proprio vocabulo dicitur, quale serere est seminis — at si nihilo minus membri illius, quod desideratur, attributio poëtae vel oratori vel ipsi sermoni communi indicetur necesse est, tum linguam cogi ad aliquam similem alterius cujusdam rei vel personae transsilire attributionem, quod quum accidit, translatio fit inopiae causa, quanquam ea ipsa translatio simul ornatum quoque et splendorem orationi potest adspergere. Omnino autem illa proportio optime instituta est, unde, quaenam sit omnium comparationum ratio atque conditio, intelligi possit, est enim quasi norma, ad quam res earumque attributiones componantur conferanturque, et quae similitudinis, cujus quaevis translatio et comparatio particeps est, optime describat naturam. Ea similitudo, sive comparationem respicis, sive translationem, quae brevior est comparatio, vel simplex est sive unius partis, vel duplex et commutabilis. Documento hujus rei alter sit Aristotelis locus,[1]) quo haecce leguntur: „*Εἰσὶ δὲ καὶ αἱ εἰκόνες, ὥσπερ εἴρηται καὶ ἐν τοῖς ἄνω,*[2])

---

1) Rhet. 3, 11.

2) Ib. 3, 4: „*Ἔστι δὲ καὶ ἡ εἰκὼν* (imago), *μεταφορά· διαφέρει γὰρ μικρόν· ὅταν μὲν γὰρ εἴπῃ τὸν Ἀχιλλέα, ὡς δὲ λέων ἐπόρουσεν, εἰκών ἐστιν· ὅταν δὲ, λέων ἐπόρουσε, μεταφορά· δία γὰρ τὸ ἄμφω ἀνδρείους εἶναι, προςηγόρευσε, μετενέγκας λέοντα, τὸν Ἀχιλλέα.*“

αἰεὶ εὐδοκιμοῦσαι τρόπον τινὰ μεταφοραί· αἰεὶ γὰρ ἐκ δυοῖν λέγονται, ὥςπερ ἡ ἀνάλογον μεταφορά· οἷον, ἡ ἀσπὶς, φαμὲν, ἐστὶ φίαλη Ἄρεως, καὶ τόξον, φόρμιγξ ἄχορδος. Οὕτω μὲν οὖν λέγουσιν οὐχ ἁπλοῦν· τὸ δ' εἰπεῖν τὸ τόξον φόρμιγγα, ἢ τὴν ἀσπίδα φιάλην, ἁπλοῦν. καὶ εἰκάζουσι δὲ οὕτως, οἷον πιθήκῳ αὐλητήν· λύχνῳ ψακαζομένῳ εἰς μύωπα· ἄμφω γὰρ συνάγεται. τὸ δ' εὖ ἐστὶν, ὅταν μεταφορὰ ᾖ· ἔστι γὰρ εἰκάσαι τὴν ἀσπίδα φίαλην Ἄρεως· καὶ τὸ ἐρείπιον ῥάκει οἰκίας κ. τ. λ." Duo igitur sunt ex Aristotelis praeceptis comparationum vel potius, quia de vocabulis translatis sermo est, imaginum genera; unum simplex, quo arcus cum lyra, clypeus cum patera, tibicen cum simio, myops cum candelabro componitur, alterum duplex, quia ex plena proportione nascitur, quo genere clypeus comparatur cum patera Martis, arcus cum lyra sine chordis, parietinae cum centonibus domus. In illa simplici comparatione duo erant proposita, r e s p r o p r i a, arcus, clypeus, tibicen, myops, et r e s a l i e n a, quae ad illam illustrandam arcessitur, lyra, patera, simius, candelabrum, quo facto nil restat, nisi ut similitudo, quae inter propriam rem et rem alienam intercedit, i. e., quod vulgo dicunt, tertium comparationis, investigetur; in hac contra duplici comparatione non solum una res aliena inest, ut patera, lyra, centones, sed adjuncta est altera res aliena, revera ad rem propriam illa referenda, ut Mars, sine chordis, domus, nam non dicitur:

clypeus est patera
arcus est lyra
parietinae sunt centones,

sed

clypeus est patera Martis
arcus est lyra sine chordis
parietinae sunt centones domus.

In simplici similitudine, ut plena comparatio prodeat, res quaedam tertia sive tertium comparationis exquirendum est, ita ut jam supplendum sit:

Ut patera Martis est, sic clypeus Martis est [1])
Ut lyra chordis tensa est, sic arcus chordis i. e. nervo tensus est
Ut centones reliquiae sunt, sic parietinae sunt reliquiae;

in duplici contra comparatione bina binis respondere debent, quia non una notio i. e. ter-

[1]) Ita certe ex mutilato Athenaei loco p. 433, cujus variae sunt lectiones, comparatio videtur supplenda.

tium comparationis, utrique rei aequabiliter commune, inveniendum est, sed quia ad alienam rem apposita est altera res, quae, unde adsit, prima quidem specie ignoratur, nam quid paterae cum Marte commune est, aut lyrae cum ἄχορδος, aut centonibus cum domo? Nihilo tamen secius dicitur patera Martis, lyra sine chordis, centones domus. Quae affinitas ut appareat, haec ponenda est proportio:

ut patera ad Bacchum sic clypeus ad Martem

ergo dici potest:

patera Martis et clypeus Bacchi.

Porro:

Ut nervus ad arcum sic chordae ad lyram

ergo:

lyra cum nervo i. e. sine chordis et arcus cum chordis.

Denique:

Ut centones ad vestem sic parietinae ad domum

ergo:

centones domus et parietinae vestis.

Dum igitur, ut modo vidimus, ex simplici translatione talis comparatio nascitur, cujus res propria et res aliena unam communem habent similitudinem, ex duplici contra translatione proficiscitur comparatio, quae suam cuique rei et propriae et alienae impertit attributionem. Unde sequitur, comparationes, quales inprimis apud poetas inveniuntur, — nam oratores et historici non tam plena comparatione, quam breviori i. e. translatione [1]) delectantur, — inter sese maxime esse diversas. [2]) Quam quidem diversitatem non solum Quintilianus, [3]) sed post ipsum plerique omnes rhetores, [4]) quanquam jam Ammonius similitudinem a proportione sive analogia separaverat, obtinere negavit. Itaque K r o g e r u s, [5]) qui in eadem

[1]) Quint. 8, 6, 8: »In totum autem metaphora brevior est similitudo eoque distat, quod illa comparatur rei, quam volumus exprimere, haec pro re ipsa dicitur.«

[2]) Eodem modo inter se differunt eae comparationes, quae sine translatione efferuntur quaeque ad figuras relegandae sunt. Utrumque genus Quint. 8, 3, 72 hisce describit: »Praeclare ad inferendam rebus lucem repertae sunt similitudines; quarum aliae sunt, quae probationis gratia inter argumenta ponuntur, aliae ad exprimendam rerum imaginem compositae etc.« Huc spectat r e d d i t i o rhetorum cf. Quint. 8, 3, 79.

[3]) 5, 11, 34: »Analogiam quidam a simili separaverunt, nos eam subjectam huic generi putamus.«

[4]) Cf. Kroeger. p. 9.

[5]) Ib.

sententia est, sub una comparatione haecce comprehendit: **immatura mors, vir Rubiconem transiit, vir pugnat instar leonis,** quum duo priora exempla ex proportione orta sint, tertium vero, sicuti omnes simplices comparationes, ad metonymiam sit referendum, qua, quia inter duas res eadem similitudo intercedit, una res pro altera ponitur. Adeoque non solum plene comparatur hunc in modum: ut leo irruit, sic Achilles [1]) irruit, sed eadem in breviorem sententiam contrahi possunt, velut: Achilles ut leo irruit, [2]) quin adeo, omisso Achille, saepissime dicitur in ejusmodi translationibus: leo irruit, quum revera Achilles significetur. Quis est, qui hic metonymiam comparere infitietur, cujus tropi omnino id proprium est, ut rem propriam et similitudinem extrudat inque earum locum solam rem alienam substituat. Quodsi jam metonymia jure suo translationis nomen sibi vindicat, propterea quod res propria in alienam transfertur quasi et mutatur, quum synecdoche quidem, quae et ipsa recte ab Aristotele translatio appellatur, notionem aliquam non immutet, sed ad eam ipsam adjiciat alteram quandam, cum illa conjunctissimam, tamen duplex translatio, ex proportione nata, prioribus tropis et ornatior est et gravior. Nam quemadmodum, id quod ex antecedentibus efficitur, metonymia orationem magis distinguit atque illustrat quam synecdoche, sic duplex translatio, qua **senectus diei, vespera seu occasus vitae, flammam serere, centones domus** et alia ejusmodi copulantur, omnium maxime homines delectat orationemque insigniter exornat et quasi stellis illuminat. Quae quidem translatio quamquam interdum, ut in his locutionibus, **pallida mors, pallentes morbi, tristis senectus, praeceps ira, hilaris adolescentia, segne otium,** quae ad immutationem plerumque referuntur, prope a metonymia abesse videtur, [3]) tamen illae attributiones sunt rei, ad quam appositae sunt, propinquiores eique quasi adhaerescunt, at quae translatio sumit, quippe ex proportione profecta, inter sese magis distant. — Quaenam jam hujus translationis esse debeant virtutes, ubi eadem et quando sit sumenda, de hac re quanquam multae et graves apud rhetores, inprimis apud Aristotelem, Ciceronem, Quintilianum, exstant sententiae praeceptaque, tamen ea singulatim percensere et ab instituto meo abhorret nec admodum facit ad eam disputationem, in qua jamjam versabimur. Quare, his praetermissis, sicut supra strictim dixi, quae essent intellectionis

1) Sic enim hoc exemplum Aristoteles proposuit. Rhet. 3, 4.

2) Haec verba ostendunt id, quod exemplum sive παράδειγμα vocatur quodque ex comparatione contractum est.

3) Similem immutationi cum intellectione conflari societatem, jam Quintilianus annotavit 8, 6, 27: „Est etiam huic tropo (metonymiae) quaedam cum synecdoche vicinia."

et immutationis formae, sic nunc, antequam ad alteram hujus libelli partem aggrediar, translationis ex proportione ortae genera paucis describam. — Quum vocabula non solum eo consilio transferantur, ut verbis cultus quidam splendorque adspergatur, sed etiam, ut res absconditae et abstrusae, quae, quum captum humanum excedant, incassum mentis aciem exercent, sensibus subjiciantur et sic ad intellectum perveniant, [1]) haud raro fieri solet, si verba liberius et audacius mutantur, ut ea translatio in κατάχρησιν sive **abusionem** degeneret, quem tropum plerique grammatici et ipse Quintilianus perperam sunt interpretati. [2]) Melius Cicero, [3]) qui ita de abusione verba facit; „Aristoteles autem translationi haec ipsa (ὑπαλλαγὴν) subjungit, et abusionem, quam κατάχρησιν vocant: ut quum **minutum** dicimus animum pro parvo, et abutimur verbis propinquis, si opus est, vel quod delectat, vel quod decet." Nolo equidem in hac re diutius immorari, sed hoc tamen solum annotare in transcursu liceat, ex uniuscujusque aetatis ingenio et utrum traductio quaedam nunc demum inveniatur an jamdudum in sermonem recepta ac saepius a scriptoribus repetita sit, pendere, imago quaedam videatur esse justa translatio an κατάχρησις. [4]) Graecis multo liberius, id quod infra uberius exponam, Romani in vocabulis immutandis versati sunt, Romanis etiam audacius recentiores populi, quamvis maxima inter hos ipsos obtinet in transferendo diversitas. Quis enim Veterum tale quid ausus est dicere, quale **Bodmerus** noster, „das Licht blüht," „die Farben welken," die Töne glänzen," aut **Schillerus,** „bei der Ebbe des Herzens betteln," et „Wunden in ein Rosen=Bild bohren," [5]) nam in ea, quam ultimo loco memoravi, verborum junctura, quatuor insunt imagines. [6]) Sed haec hacte-

1) Cf. I. P. Fr. Richter. Vorschule der Aesth. init. „Wenigstens würde in Bildern sich das verwandte Leben besser spiegeln als in todten Begriffen — nur aber für jeden anders; denn nichts bringt die Eigenthümlichkeit der Menschen mehr zur Sprache als die Wirkung, welche die Dichtkunst auf sie macht." At enim non solum Pindaro, sed Platoni quoque imagines opus sunt.

2) Cf. Mützell. l. l. p. 5. sqq.

3) Orat. c. 27.

4) Cf. Fr. Richt. l. l. t. 2. p. 177. „Mit jedem Jahrhundert verliert eine Flur von Dichter-Blumen ihre lebendige blühende Gestalt und vermodert zu todter Materie, z. B. die Bilder **Geschmack, Verdauen, Aussicht, Ton, Berg, Gipfel.** Besonders verflüchtigen sich grade die Metaphern der gröbern Sinne, z. B. **hart, rauh, scharf, kalt,** zuerst und werden abstracte Geister, eben weil der gröbere Sinn der dunklere ist, indeß das helle Auge seine hellen Gestalten in größerer Ferne verfolgt und bewacht. Aber auch hier verfliegt, was oft erscheint; so selber das **Licht, tiefe Finsterniß.**"

5) Cf. Fr. Richter. l. l. t. 2. p. 177.

6) Sunt apud Veteres quoque uno loco interdum plures coacervatae translationes, ut Quint. 8, 6, 28, in

sententia est, sub una comparatione haecce comprehendit: **immatura mors**, **vir Rubiconem transiit**, **vir pugnat instar leonis**, quum duo priora exempla ex proportione orta sint, tertium vero, sicuti omnes simplices comparationes, ad metonymiam sit referendum, qua, quia inter duas res eadem similitudo intercedit, una res pro altera ponitur. Adeoque non solum plene comparatur hunc in modum: ut leo irruit, sic Achilles [1]) irruit, sed eadem in breviorem sententiam contrahi possunt, velut: Achilles ut leo irruit, [2]) quin adeo, omisso Achille, saepissime dicitur in ejusmodi translationibus: leo irruit, quum revera Achilles significetur. Quis est, qui hic metonymiam comparere infitietur, cujus tropi omnino id proprium est, ut rem propriam et similitudinem extrudat inque earum locum solam rem alienam substituat. Quodsi jam metonymia jure suo translationis nomen sibi vindicat, propterea quod res propria in alienam transfertur quasi et mutatur, quum synecdoche quidem, quae et ipsa recte ab Aristotele translatio appellatur, notionem aliquam non immutet, sed ad eam ipsam adjiciat alteram quandam, cum illa conjunctissimam, tamen duplex translatio, ex proportione nata, prioribus tropis et ornatior est et gravior. Nam quemadmodum, id quod ex antecedentibus efficitur, metonymia orationem magis distinguit atque illustrat quam synecdoche, sic duplex translatio, qua **senectus diei**, **vespera** seu **occasus vitae**, **flammam serere**, **centones domus** et alia ejusmodi copulantur, omnium maxime homines delectat orationemque insigniter exornat et quasi stellis illuminat. Quae quidem translatio quamquam interdum, ut in his locutionibus, **pallida mors**, **pallentes morbi**, **tristis senectus**, **praeceps ira**, **hilaris adolescentia**, **segne otium**, quae ad immutationem plerumque referuntur, prope a metonymia abesse videtur, [3]) tamen illae attributiones sunt rei, ad quam appositae sunt, propinquiores eique quasi adhaerescunt, at quae translatio sumit, quippe ex proportione profecta, inter sese magis distant. — Quaenam jam hujus translationis esse debeant virtutes, ubi eadem et quando sit sumenda, de hac re quanquam multae et graves apud rhetores, inprimis apud Aristotelem, Ciceronem, Quintilianum, exstant sententiae praeceptaque, tamen ea singulatim percensere et ab instituto meo abhorret nec admodum facit ad eam disputationem, in qua jamjam versabimur. Quare, his praetermissis, sicut supra strictim dixi, quae essent intellectionis

1) Sic enim hoc exemplum Aristoteles proposuit. Rhet. 3, 4.

2) Haec verba ostendunt id, quod exemplum sive παράδειγμα vocatur quodque ex comparatione contractum est.

3) Similem immutationi cum intellectione conflari societatem, jam Quintilianus annotavit 8, 6, 27: „Est etiam huic tropo (metonymiae) quaedam cum synecdoche vicinia."

et immutationis formae, sic nunc, antequam ad alteram hujus libelli partem aggrediar, translationis ex proportione ortae genera paucis describam. — Quum vocabula non solum eo consilio transferantur, ut verbis cultus quidam splendorque adspergatur, sed etiam, ut res absconditae et abstrusae, quae, quum captum humanum excedant, incassum mentis aciem exercent, sensibus subjiciantur et sic ad intellectum perveniant, [1]) haud raro fieri solet, si verba liberius et audacius mutantur, ut ea translatio in **κατάχρησιν** sive **abusionem** degeneret, quem tropum plerique grammatici et ipse Quintilianus perperam sunt interpretati. [2]) Melius Cicero, [3]) qui ita de abusione verba facit; „Aristoteles autem translationi haec ipsa (ὑπαλλαγὴν) subjungit, et abusionem, quam κατάχρησιν vocant: ut quum **minutum** dicimus animum pro parvo, et abutimur verbis propinquis, si opus est, vel quod delectat, vel quod decet." Nolo equidem in hac re diutius immorari, sed hoc tamen solum annotare in transcursu liceat, ex uniuscujusque aetatis ingenio et utrum traductio quaedam nunc demum inveniatur an jamdudum in sermonem recepta ac saepius a scriptoribus repetita sit, pendere, imago quaedam videatur esse justa translatio an κατάχρησις. [4]) Graecis multo liberius, id quod infra uberius exponam, Romani in vocabulis immutandis versati sunt, Romanis etiam audacius recentiores populi, quamvis maxima inter hos ipsos obtinet in transferendo diversitas. Quis enim Veterum tale quid ausus est dicere, quale **Bodmerus** noster, „das Licht blüht," „die Farben welken," die Töne glänzen," aut **Schillerus**, „bei der Ebbe des Herzens betteln," et „Wunden in ein Rosen-Bild bohren," [5]) nam in ea, quam ultimo loco memoravi, verborum junctura, quatuor insunt imagines. [6]) Sed haec hacte-

1) Cf. I. P. Fr. Richter. Vorschule der Aesth. init. „Wenigstens würde in Bildern sich das verwandte Leben besser spiegeln als in todten Begriffen — nur aber für jeden anders; denn nichts bringt die Eigenthümlichkeit der Menschen mehr zur Sprache als die Wirkung, welche die Dichtkunst auf sie macht." At enim non solum Pindaro, sed Platoni quoque imagines opus sunt.

2) Cf. Mützell. l. l. p. 5. sqq.

3) Orat. c. 27.

4) Cf. Fr. Richt. l. l. t. 2. p. 177. „Mit jedem Jahrhundert verliert eine Flur von Dichter-Blumen ihre lebendige blühende Gestalt und vermodert zu todter Materie, z. B. die Bilder **Geschmack**, **Verdauen**, **Aussicht**, **Ton**, **Berg**, **Gipfel**. Besonders verflüchtigen sich grade die Metaphern der gröbern Sinne, z. B. **hart**, **rauh**, **scharf**, **kalt**, zuerst und werden abstracte Geister, eben weil der gröbere Sinn der dunklere ist, indeß das helle Auge seine hellen Gestalten in größerer Ferne verfolgt und bewacht. Aber auch hier verfliegt, was oft erscheint; so selber das **Licht**, **tiefe Finsterniß**."

5) Cf. Fr. Richter. l. l. t. 2. p. 177.

6) Sunt apud Veteres quoque uno loco interdum plures coacervatae translationes, ut Quint. 8, 6, 28, in

nus. — Si ille, de quo explicamus, traducendi transferendique modus frequentatur et semel inchoatus continuatur, *ἀλληγορία* conficitur, de qua Ciceronis verba ita sonant: [1]) Jam quum fluxerunt plures continuae translationes, alia plane fit oratio. Itaque genus hoc Graeci appellant *ἀλληγορίαν*, [2]) nomine recte, genere melius ille, qui ista omnia translationes vocat." Ultima verba ad nostrum Aristotelis spectare locum, cui totam hanc de translatione disputationem superstruxi, vix est, quod moneam. Sed allegoria, si est obscurior, aenigma [3]) dicitur, de quo recte Aristoteles [4]) statuit: „*Καὶ ὅλως, ἐκ τῶν εὖ ἠνιγμένων ἐστὶ μεταφορὰς λαβεῖν ἐπιεικεῖς· μεταφοραὶ γὰρ αἰνίττονται· ὥςτε δῆλον ὅτι εὖ μετενήνεκται.*" Nec minus allegoriae aggregandae sunt fabula Aesopea sive apologus [5]), quasi *λόγος ἀπὸ λόγου*, quia aliud aperte dicit, aliud innuit, [6]) et *παραβολή*, quam Scaliger [7]) idem esse quod allegoriam perperam sibi persuadet. Denique, ut jam supra dixi, ad allegoriam, si quidem vocabula sunt translata, annectendae sunt tanquam species *εἰρωνεία*, [8]) *σαρκασμός*, [9]) *ἀστεϊσμός*, [10]) *εὐφημισμός*, *ἀντίφρασις*, [11]) *παροιμία*, [12]) *μυκτηρισμός*. [13]) Pernimium enim interest, utrum dicteria illa facetiaeque, quibus Romani mirum quantum excellunt, quum Graeci contra majore elegantia urba-

vultus hominum pro vultu, et in aurea tecta pro auratis metonymiam et synecdochen inesse vult, nec minus in Arist. (Rh. 3. 10) verbis „*ὥστε βοῆσαι τὴν Ἑλλάδα*", ubi metonymiam, abusionem et allegoriam deprehendis. Vd. ib. quum alia translationis exempla tum hoc, „*ὅτι εἰς Σικελίαν τὴν πόλιν ἐξέχεαν.*"

1) Orat. 27.

2) Notissima est Xenophontis Mem. 3, 6 et 11 de conciliandis amicis et Platonis Phaed. p. 246 A — 257 B de equis animi allegoria.

3) Cf. Quint. 6, 3, 51; 6, 3, 98; 8, 6, 52.

4) Rhet. 3. 2. Veteres mire quam aenigmatis delectati sunt. Antiqui Latinorum, teste Gellio 12, 6, pro aenigmatis sirpos dicere consueverant. Cf. de aenig. Forcell. lex.

5) Nam fabulae universa notio et apologus maximopere inter se distant.

6) Constat inter omnes, quam parum de apologi inventore Veteres conspirent.

7) L. l. 3, 53. De parabola i. e. collatione rerum genere dissimilium cf. Quint. 5, 11, 23; 8, 3, 77; Donat. de trop. p. 1778; Diomed. 2, 459.

8) Cf. Quint. 8, 6, 54; 9, 1, 3 et al.

9) Cf. Charis. 4, 247; Diomed. 2, 458.

10) Cf. ibid.

11) Quibus exemplis *ἀντίφρασις* illustratur, eadem fere ad *εὐφημισμὸν* a grammaticis applicari video.

12) Cf. Charis. 4, 247; Diom. 2, 458; Donat. de trop. p. 1778.

13) Quint. 8, 6, 59; exempla hujus tropi exhibentur a Charis. p. Putsch. 252.

nitateque in jocis conspicui sint, cernantur in lusu verborum, cui sane Veteres plus quam recentiores tribuerunt, an in vocabulorum immutatione an denique in ea translatione, de qua nunc agimus. Unde consequitur, ironiam ejusque species aut ad figuras esse trudendas, ut apud Aristotelem [1]) *τὰ παρὰ γράμμα σκώμματα*, aut pertinere ad immutationem, ut plurima proverbia, aut denique assurgere ad veram et propriam translationem. Sed postremo *προσωποποιΐας* sive fictae personae inductionis [2]) mentio est inchoanda, quae aeque ac tropi antegressi nunc figura, sed figura sententiarum est, per quam personae vel aliae res loquentes inducuntur, vel ad suadendum, vel ad objurgandum, vel ad querendum, vel ad laudandum, vel ad movendam miserationem, nunc integra oratio, in qua ex alterius persona dicimus, et verba sententiasque per continuatam *προσωποποιΐαν* ipsius qualitati accommodamus, cujusmodi pulcherrimae apud Livium aliosque exstant historicos. Verumtamen, si illud incidit, ut aut res a sensuum commercio abstractae loquentes fingantur, ut amor, patria, fama, discordia, aut res sensibus subjectae, ut urbes, silvae, membra corporis humani, meminisse oportet, *προσωποποιΐαν* non tantum figuram et orationis conformationem esse, sed simul vocabulorum translationem longe gravissimam. Cujus translationis genera quoniam in antecedentibus descripsi, jam quaeritur, num omnium, quaecunque cogitari fingique possunt immutationum species ac modi, esse possit aliqua divisio. Ei rei jam Veteres operam ac diligentiam suam insumsere, nec sane est, cur ab ea via, quam illi aperuerunt, deflectamus. Miro enim consensu et rhetores et grammatici, si perpaucos excipias, qui aut bipartitas universas esse voluerunt translationes aut quinque classes earum fecerunt, in quadripartita acquiescunt distributione. [3]) Quorum Trypho [4]) sic loquitur: „*γίνεται δὲ ἡ μεταφορὰ τετραχῶς, ἀπὸ ἐμψύχων ἐπὶ ἔμψυχα —, ἀπὸ ἀψύχων ἐπὶ ἄψυχα —, ἀπὸ ἐμψύχων ἐπὶ ἄψυχα —, ἀπὸ ἀψύχων ἐπὶ ἔμψυχα —.* Tryphonis vestigia Quintilianus [5]) legit, ait enim: „Hujus (translationis) vis omnis quadruplex maxime videtur: cum in rebus animalibus aliud pro alio ponitur. — Inanima pro aliis generis ejusdem sumuntur —, aut pro rebus animalibus inanima — aut contra —." Quod Mützellius hanc simplicem distributionem, quae bene se habet, continet enim

1) Rhet. 3, 11.

2) Auctor ad Her. 4, 53 eandem vocat conformationem, Quintil. 9, 2, 29 personae fictionem.

3) Cf. Mützell. p. 18 sqq.

4) L. l. p. 730.

5) L. 8, 6, 9, 10.

omnium rerum et animalium et inanimarum complexionem, rursus in varias ac multiformes species est dispertitus, laudamus quidem ipsius diligentiam mentisque in partiendo acumen, sed vereor, ne quaedam classes ab eo excogitatae nulla habeant exempla, id quod ipse postea, dum singulatim de unoquoque genere apud Curtium exponit, expertus est, effugerint autem ejus curam aliae transferendi formae, quas haud dubie quis eruat, si Tibullum et Propertium percensere et hoc nomine pedetentim explorare et quasi enucleare voluerit. Quocirca equidem satius duxi, acquiescere in illa partitione, qualis a Veteribus inventa est, cujus in disputatione insequenti, quum res ita feret, memor ero. [1])

Quoniam vero de translatione exposui, et simplici illa, cui synecdochen et metonymiam Aristoteles subesse voluit, et duplici, quam ex proportione sive *ἀναλογίᾳ* nasci supra docui, restat, ut jam in altera hujus libelli parte strictim exponam, quomodo Graeci et Romani illa translatione ejusque formis usi fuerint. Quae disputatio, quum in antecedentibus paulo diutius immoratus sim, fieri non potest, quin angustioribus, quam propositum erat, circumscribatur cancellis et ea, quae copiosissime dici possunt, breviter et quasi summatim attingantur, quaeque sparsa et diffusa sunt, in angustum cogantur. Adeoque nec de universis Graecorum et Latinorum scriptoribus nec de singulis sermonis graeci et romani aetatibus [2]) aut litterarum vicissitudinibus disserere in animo est, sed, exclusis reliquis auctoribus, in iis solis versabimur, qui principes dici haberique solent, ex quibus adeo optime et linguae utriusque et litterarum ingenium potest cognosci. Qui autem epicorum, lyricorum, philosophorum, historicorum, oratorum familias ducunt, sunt Homerus, Pindarus, Plato, Thucydides, Demosthenes. In praesentiarum sat habebo ostendisse, quae et qualis in his potissimum scriptoribus sit transferendi ratio, quo facto similiter de optimis Romanorum auctoribus explicabo.

---

1) Vocabula translata non minus quam propria multimodis copulari et variari posse, quis est, quin videat? Quapropter non solum, ut supra Aristoteles, recte enuntiatur, flammam serens, ut hac translatione utar, Graecis et Romanis trita (cf. Ovid. Met. 15, 47; Pind. Ol. VII, 7 „*αἴθοίσας σπέρμα φλογός*"), sed etiam, flamma seritur, flamma sata, semina flammae, flamma est satio. Et alterum illud Aristotelis exemplum occasus vitae mutari potest in: vita occidit, vita est occasus, vita occidens, vita habet occasum aliaq.

2) Ut Romanorum enim litterae quinque aetatibus cursum suum absolvisse plerumque putantur, sic et Graeci antiquam aetatem, quae auream praecurrit, tum ipsam auream, argenteam, aeneam, ferream decurrisse censendi sunt. Antiquissimae aetatis scriptores ducit Homerus, auream incipiunt Xenophon, Plato, Lysias aliique, argenteam Aristoteles, aeneam Dionysius Halicarnassensis, ferream denique Zosimus.

De Homeri quidem translationibus, ut ab principe poëtarum exordiar, jam Aristoteles ait [1]): — *κέχρηται Ὅμηρος πολλαχοῦ τῷ τὰ ἄψυχα ἔμψυχα λέγειν, διὰ τῆς μέταφορᾶς. Ἐν πᾶσι δὲ τὸ ἐνέργειαν ποιεῖν, εὐδοκιμεῖ· οἷον ἐν τοῖςδε,*

Αὖτις ἐπὶ δάπεδόν τε κυλίνδετο λᾶας ἀναιδής [2]).

Καὶ, ἔπτατ' ὀϊστός [3]).

Καὶ, ἐπιπτέσθαι μενεαίνων [4]).

Καὶ, Ἐν γαίῃ ἵσταντο λιλαιόμενα χροὸς ἆσαι [5]).

Καὶ, Αἰχμὴ δὲ στέρνοιο διέσσυτο μαιμώωσα [6]).

Ἐν πᾶσι γὰρ τούτοις, διὰ τὸ ἔμψυχα εἶναι, ἐνεργοῦντα φαίνεται· τὸ ἀναισχυντεῖν γὰρ, καὶ μαιμᾷν, καὶ τἆλλα, ἐνέργεια. Ταῦτα δὲ προςῆψε διὰ τῆς κατὰ ἀναλογίαν μεταφορᾶς· ὡς γὰρ ὁ λίθος πρὸς τὸν Σίσυφον, ὁ ἀναισχυντῶν πρὸς τὸν ἀναισχυντούμενον. Ποιεῖ δὲ καὶ ἐν ταῖς εὐδοκιμούσαις εἰκόσιν ἐπὶ τῶν ἀψύχων ταῦτα·

Κυρτὰ, φαληριόωντα· πρὸ μὲν τἆλλ', αὐτὰρ ἐπ' ἄλλα·

κινούμενα γὰρ καὶ ζῶντα ποιεῖ πάντα. Est igitur ea et comparationum et translationum in Homero natura, ut res inanimae animalium instar omnino se movere, pati, agere, turbari, augeri, minui, sedari, florere, exstingui, calere, solvi, contexi dicantur, nam perquam rara est ea apud ipsum ratio, ut res, quae sub sensus cadunt, virtutes et attributiones rerum inanimarum habere fingantur [7]). Ut Homericae translationis ingenium magis cognoscatur, quae in quarto Odysseae libro ejus sparsa sunt exempla, nunc exscribam. Sunt quidem haecce: *ποιμένι λαῶν* [8]) (v. 24), *ἔπεα πτερόεντα* (25), — *ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο* (68), *κόρος κρυεροῖο νόοιο* (103), *χείλεα ταλάρῳ* tributa (132), *ὀφθαλμῶν βολαὶ* (150), *θα-*

---

1) Rh. 3, 11.

2) Odyss. 11, 597.

3) Il. 13.

4) Il. 4, 126.

5) Il. 11, 573; cf. Plut. Sympos. 9; Probl. 15. Simili fere translatione usus est Virgilius: Hasta — alte bibit acta cruorem. Aen. 11, 804.

6) Cf. Il. 5, 661.

7) In toto Homero vix tres similitudines leguntur, quibus res animales cum inanimis conferuntur. Cf. Il. 22, 199 sq.; ib. 15, 80; Odyss. 7, 36: *Τῶν νέες ὠκεῖαι, ὡςεὶ πτερὸν, ἠὲ νόημα.* Attamen tantopere in Homero comparationes frequentantur (cf. inprimis Il. l. 2), ut decimam fere totius carminis exaequent partem (cf. Greverus über die Gleichnisse und Bilder Homers, Oldenburg 1839. p. 6 et 7).

8) Alias *ὄρχαμος λαῶν*.

νάτοιο μέλαν νέφος (180), ὄλβον ἐπικλώσῃ (208), κραδίη τετράπτο (260), φόνον καὶ Κῆρα φέροντες (273), κῦδος ὀρέξαι (275), ῥοδοδάκτυλος [1]) ἠὼς, εὐρέα νῶτα θαλάσσης (313), πίονα ἔργα (318), μηδὲ-μειλίσσεο (326), θυμὸν ὄρινα (366), ἔτειρε-γαστέρα λιμός (369) [2]), μινύθει-ἦτορ (481), κραδίη πόρφυρε κίοντι (427) [3]), ὅστις μ' ἀθανάτων πεδάᾳ καὶ ἔδησε κελεύθου (469), κατεκλάσθη-ἦτορ (481), πόλεμον τολύπευσεν (490) [4]), δάκρυα θερμὰ (523), κῆρ dicitur ζώειν καὶ ὁρᾶν φάος ἠελίοιο (539), ἄσβεστον κλέος (584) [5]), προςπτύξατο μύθῳ (647) [6]), βίοτον (alias οἶκον, μῆλα) κατακείρειν (686), naves appellantur ἁλὸς ἵπποι (708), ἄχος-θυμοφθόρον (716), εὔνησε γόον, σχέθε δ' ὄσσε γόοιο (758), λύθεν [7]) — ἄψεα (794), κνώσσουσ' ἐν ὀνειρείῃσι πύλῃσι (809), ἦτορ ἰάνθη (840). Confirmari existimo his exemplis judicium meum, quod supra de Homeri translationibus feci. Sunt enim aut tales, quae in rebus animalibus aliud pro alio ponunt, aut tales, quae ad res inanimas illustrandas imaginem aliquam ab animalium sive motu, sive coloribus [8]), sive actione et passione, sive fabricatione et cultu, sive flore denique et morte mutuantur [9]). Inde factum est, ut omnium temporum homines Homeri simplicitatem et veritatem sint admirati. Veritate enim conspicuus est, propterea quod et rerum et hominum naturam moresque, ita ut revera in vita humana deprehenduntur, depingit quasi et adumbrat, simplicitate

---

1) Haec vox, ut multa alia inprimis apud Pindarum adjectiva composita jam per se ostendunt translationem. Ad nostrum epitheton explicandum afferre liceat haec Greberi („Reise nach Griechenland p. 224") verba: „Es zeigen sich nemlich nach dem Untergange und vor dem Aufgang der Sonne 5 blaßrothe, perpendiculär vom Horizont aufsteigende Streifen. Am Abend habe ich sie selbst gesehen, am Morgen war ich nicht so glücklich."

2) Infra v. 441 ἔτειρε-ὀδμή.

3) Cf. Scholiast. ad h. l.

4) Similes locutiones sunt δόλους, ἄλγεα, πόνον, πένθος τολυπεύειν. Cf. similes notiones verborum πλέκειν, στρέφειν, ὑφαίνειν, ὁρμαίνειν, ῥάπτειν (suere dolos).

5) Alias ἄσβεστον μένος, γέλως, βοή.

6) Alias ἔπει, ἔργῳ προςπτύσσεσθαι.

7) Idem verbum copulatur multis modis cum βίη, μένος, ψυχὴ, πόλεων κάρηνα, μελεδήματα.

8) Vix dici potest, quantopere Graeci iis verbis, quibus colorum species et mutationes eorumque quasi gradus declarantur, abundent, et simplicibus et copulatis. Cf. πορφύρα ejusque compositiones, μέλας et hujus notionis novam prolem, μαρμαίρω, αἰόλος, λάω, γλαύσσω, λεύκος (lucere), λεύσσω, quae vocabula candidum denotant colorem.

9) Nec minus in deliciis sunt poëtis imagines a flore et exstinctione rerum sumtae. Cf. ἀνθεῖν et σβεννύναι et quae ab utraque voce ducuntur.

autem omnibus non solum Graecorum, sed etiam Romanorum poëtis praestat, quia ejus sermo ab omni splendore et ornatu, certe tali, qualem posteriores anxie et sollicite undique carminibus suis quaesiverunt, abhorret eumque prorsus aspernatur. Unde non mirum est, in summo poëta, nisi aut inopiae causa aut quia traductio aliqua se sponte quasi offert ad rem significantissime enuntiandam, vocabula a propria significatione ad non propriam perraro deflecti, adeoque paucas esse translationes, quas, ut modo vidimus, ex libro Odyss. quarto eoque longissimo exscripserim, quarum pleraeque insuper tantum abest, ut semel illo loco legantur, ut saepius, imo vero saepissime et alias in Homeri carminibus repetantur, de qua re vix est, quod plura in medium proferam. Contra eae transferendi species, quas supra intellectioni et immutationi subjunxi, apud Homerum frequentiores sunt [1]), quandoquidem illae formae et ad orationem pedestrem et ad eas orationis figuras, quas posteriores scriptores σχήματα appellarunt, propius accedere videntur. Quae quidem figurae omnino in Graecorum scriptis, quippe qui adeo mul-

---

1) Intellectioni adjudicanda sunt haec exempla: μυρίοι, πρόσωπα, ψάμαθοι, προθυμίαι, δόμοι, δώματα, κόλποι, σίδηρος pro gladio, φιλεῖν hospitaliter excipere, aliaq. permulta, nec minus multae superjectiones, quae aut rerum parvitatem aut magnitudinem exaggerant amplificantque (cf. Il. 9, 385 sqq. aliaq.), immutationis vero genera neminem praeterit, quantopere in Homero celebrentur. Antonomasiae accenseantur oportet Λαερτιάδης, Ἀτρείδης, Τυδείδης, Αἰακίδης, Πηλείδης, Πηλείων, Κρονίδης, Ἀργειφόντης aliaq. ejusmodi. Circumlocutioni saepissime inserviunt μένος, βίη, σθένος, ἶς, ἕρκος, λαὸς, υἷες, ὄζος, δῶμα, γόνος; terra vel urbs aliqua, si multas oves vel bestias alit, μητὴρ μήλων, μήτηρ θηρῶν vocatur, mare dicitur λαῖτμα θαλάσσης s. ἁλὸς, ignis φλὸξ Ἡφαίστου. Eodem spectant locutiones proverbiales, ὀδὰξ λάζεσθαι γαῖαν, φάος ἠελίοιο ὁρᾶν, φυγέειν κύνας ἠδ' οἰωνοὺς, ἐν πυρὶ γενέσθαι, χθόνα δῦναι, ἐπὶ κόλπον ἔχειν, κόλπῳ δέξασθαι et ὑποδέξασθαι aliaque ejusmodi, tum longe plurimae adjectivorum appositiones, ut, κρυερὸς γόος s. φόβος, φάρμακον νηπενθὲς, ἄχολον, κακῶν ἐπίληθον (apud Anacr. 50 πότος ἄστονος), πικρὸς ὀϊστὸς, πικρὸν δάκρυον, στονόεις cum βέλεα, ὀϊστοὶ, κήδεα, ἔργα, ἄεθλοι junctum, aliaque. Denique hic nominare attinet multas deorum appellationes, qui, quum Graeci omnibus fere rebus animam impertiant et numina, quae illas res generare et temperare finguntur, non solum personae sunt, sed per metonymiam ad eas ipsas res traducuntur, quibus praesunt, ut, Ἥφαιστος, Ἀφροδίτη, Ἄρης, Ἀπόλλων, Ποσειδῶν, alii. Ex his exemplis cogitur, metonymiae species maximopere frequentasse Homerum, quippe quae omnino in carminis epici rationem ac naturam optime conveniant, quum lyrici contra translationis ex proportione natae, ad quam inveniendam multo major animi elatio orationisque sublimitas requiritur, sint amantissimi.

tum sensibus tribuant adeoque sensibus duci se patiantur, ut saepenumero in rerum specie et forma, in earumque consensu ordineque inhaerere quam ad interiorem rerum naturam descendere malint, multo magis quam translationes coluntur et accurantur. Quam ob rem et apud Homerum rarae admodum vocabulorum sunt translationes et prosae orationis scriptores iis prorsus ante Thucydidem abstinuisse aut certe condimenti loco usos fuisse, luculentum est Dionysii Halicarnassensis [1]) testimonium, qui hunc in modum disserit: *„οἱ δὲ πρὸ τοῦ πελοποννησιακοῦ γενόμενοι πολέμου καὶ μέχρι τῆς Θουκυδίδου παρεκτείναντες ἡλικίας, ὁμοίας ἔσχον ἅπαντες ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ προαιρέσεις. — Πάντες γὰρ οὗτοι — περὶ τὴν κυρίαν λέξιν μᾶλλον ἐσπούδασαν ἢ περὶ τὴν τροπικὴν, ταύτην δὲ ὥσπερ ἥδυσμα παρελάμβανον· σύνθεσίν τε ὀνομάτων ὁμοίαν ἅπαντες ἐπετήδευσαν τὴν ἀφελῆ καὶ ἀνεπιτήδευτον, καὶ οὐδ' ἐν τῷ σχηματίζειν τὰς λέξεις τὰς νοήσεις ἐξέβησαν ἐπὶ πολὺ τῆς τετριμμένης καὶ κοινῆς καὶ συνήθους ἅπασι διαλέκτου. τὰς μὲν οὖν ἀναγκαίας ἀρετὰς ἡ λέξις αὐτῶν πάντων ἔχει· καὶ γὰρ καθαρὰ καὶ σαφὴς καὶ σύντομός ἐστιν, ἀποχρώντως σώζουσα τὸν ἴδιον ἑκάστης διαλέκτου χαρακτῆρα· τὰς δ' ἐπιθέτους, ἐξ ὧν μάλιστα διάδηλος ἡ τοῦ ῥήτορος γίνεται δύναμις, οὔτε ἁπάσας οὔτ' εἰς ἄκρον ἠκούσας, ἀλλ' ὀλίγας καὶ ἐπὶ βραχύ, ὕψος λέγω καὶ καλλιῤῥημοσύνην καὶ σεμνολογίαν καὶ μεγαλοπρέπειαν, οὐδὲ δὴ τόνον, οὐδὲ βάρος οὐδὲ πάθος διεγείροντα τὸν νοῦν, οὐδὲ τὸ ἐῤῥωμένον καὶ ἐναγώνιον πνεῦμα, ἐξ ὧν ἡ καλουμένη γίνεται δεινότης, πλὴν ἑνὸς Ἡροδότου.“* Perhibentur igitur rerum scriptores ante Thucydidem propriam orationem praetulisse Thucydidis vocabula transferendi et artificiose collocandi consuetudini ac studio, id quod haud demireris, si tecum reputaveris, antiquissimos illos Graecorum historicos in urbium suarum annalibus conficiendis, in rerum publicarum commentariis exarandis, in gentium originibus enarrandis, quod argumentum scilicet tenue et exile dicendi genus postularet et rariorem immutandi verba et flectendi imponeret necessitatem, occupatos fuisse, Herodotum vero, etsi ab antiquis rerum gestarum pronuntiatoribus ad posteriores transitum parare dicitur, quae aut ipse viderat aut fando audierat, admirabili quadam et simplicitate et castitate esse persecutum. Sed gravior et severior est Thucydidis ratio, utpote qui non in aliorum narratiunculis temere innitatur nec id habeat propositum, ut res gestas attenuate et simpliciter memoriae prodat, sed qui ipse in gestorum causas inquirat et peracri judicio tanquam trutina ea, quibus aut ipse inter-

[1]) De Thucyd. charact. c. 23.

fuerat aut quae ab aliis acceperat, pensitet ponderetque. Accedit, quod Thucydides Antiphonis, qui Gorgiam imitatus est in dicendo, frequentarat scholas, unde factum est, ut ejus scriptio novam quandam et tum quidem inauditam formam indueret, quam item Dionysius Halicarnassensis [1]) pluribus describit: *„Θουκυδίδης — ἴδιόν τινα χαρακτῆρα καὶ παρεωραμένον ἅπασι* (sc.[2]) *οὔτε πεζὸν αὐτοτελῶς οὔτ' ἔμμετρον ἀπηρτισμένως, κοινὸν δέ τι καὶ μικτὸν ἐξ ἀμφοῖν ἐργασάμενος) πρῶτος εἰς τὴν ἱστορικὴν πραμματείαν ἐσπούδασεν εἰσαγαγεῖν· ἐπὶ μὲν τῆς ἐκλογῆς τῶν ὀνομάτων τὴν τροπικὴν καὶ γλωττηματικὴν καὶ ἀπηρχαιωμένην καὶ ξένην λέξιν προελόμενος ἀντὶ τῆς κοινῆς καὶ συνήθους τοῖς καθ' αὐτὸν ἀνθρώποις· ἐπὶ δὲ τῆς συνθέσεως τῶν τ' ἐλαττόνων καὶ τῶν μειζόνων μορίων τὴν ἀξιωματικὴν καὶ αὐστηρὰν καὶ στιβαραν* [3]) *καὶ βεβηκυῖαν καὶ τραχύνουσαν ταῖς τῶν γραμμάτων ἀντιτυπίαις τὰς ἀκοὰς ἀντὶ τῆς λιγυρᾶς καὶ μαλακῆς καὶ συνεξεσμένης καὶ μηδὲν ἐχούσης ἀντίτυπον· ἐπὶ δὲ τῶν σχηματισμῶν, ἐν οἷς μάλιστα ἐβουλήθη διενέγκαι τῶν πρὸ αὐτοῦ, πλείστην εἰςενεγκάμενος σπουδήν.“* Novam igitur, sive frequentiores vocabulorum translationes, sive figurarum consuetudinem ac studium spectas, Thucydides ex Dionysii judicio in historiis componendis sibi aperuit viam, qua deinceps plerique et optimi Graecorum ac Romanorum incesserunt rerum scriptores. Nam philosophia quidem et eloquentia, prior ab illis artificiosi sermonis fabricatoribus in errores inducta, posterior vero sophistarum inprimis a Gorgia, Alcidamante [4]) aliisque in cultum nimis exquisitum et fere poeticum detorta et depravata, ad rectam viam redierunt, sed historia, si aequalium solum Xenophontem excipias, non tam simplicitate quam exilitate in narrando insignem, scriptorum vero aetate inferiorum Polybium, qui et ipse suis pedibus institit, Thucydidis auctoritatem ejusque in scribendo nimiam industriam nunquam posthac excussit. Quem Philistus de Graecis, Dionysius Halicarnassensis, Dio Cassius, Arrianus, Ap-

[1]) Ib. c. 24.

[2]) Cf. *περὶ τῶν Θουκυδίδου ἰδιωμάτων* c. 2.

[3]) Quint. 10, 1, 73: „Densus et brevis et semper instans sibi Thucydides: dulcis et candidus et fusus Herodotus: ille concitatis, hic remissis affectibus melior: ille concionibus, hic sermonibus; ille vi, hic voluptate.“

[4]) De utroque cf. Westermannus l. l. p. 46. et prae ceteris Arist. Rhet. 3. 3: *„Διὸ τὰ Ἀλκιδάμαντος ψυχρὰ φαίνεται· οὐ γὰρ ἡδύσματι χρῆται, ἀλλ' ὡς ἐδέσματι, τοῖς ἐπιθέτοις, οὕτω πυκνοῖς, καὶ μείζοσι, καὶ ἐπιδήλοις κ. τ. λ.“* Ibid. paulo inferius ita pergit: *„Καὶ ἔτι τέταρτον, τὸ ψυχρὸν ἐν ταῖς μεταφοραῖς γίγνεται· — Οἷον Γοργίας, χλωρὰ καὶ ἔναιμα τὰ πράγματα· σὺ δὲ ταῦτα αἰσχρῶς μὲν ἔσπειρας, κακῶς δὲ ἐθέρισας· ποιητικῶς γὰρ ἄγαν, κ. τ. λ.“*

tum sensibus tribuant adeoque sensibus duci se patiantur, ut saepenumero in rerum specie et forma, in earumque consensu ordineque inhaerere quam ad interiorem rerum naturam descendere malint, multo magis quam translationes coluntur et accurantur. Quam ob rem et apud Homerum rarae admodum vocabulorum sunt translationes et prosae orationis scriptores iis prorsus ante Thucydidem abstinuisse aut certe condimenti loco usos fuisse, luculentum est Dionysii Halicarnassensis [1]) testimonium, qui hunc in modum disserit: „οἱ δὲ πρὸ τοῦ πελοποννησιακοῦ γενόμενοι πολέμου καὶ μέχρι τῆς Θουκυδίδου παρεκτείναντες ἡλικίας, ὁμοίας ἔσχον ἅπαντες ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ προαιρέσεις. — Πάντες γὰρ οὗτοι — περὶ τὴν κυρίαν λέξιν μᾶλλον ἐσπούδασαν ἢ περὶ τὴν τροπικὴν, ταύτην δὲ ὥσπερ ἥδυσμα παρελάμβανον· σύνθεσίν τε ὀνομάτων ὁμοίαν ἅπαντες ἐπετήδευσαν τὴν ἀφελῆ καὶ ἀνεπιτήδευτον, καὶ οὐδ' ἐν τῷ σχηματίζειν τὰς λέξεις τὰς νοήσεις ἐξέβησαν ἐπὶ πολὺ τῆς τετριμμένης καὶ κοινῆς καὶ συνήθους ἅπασι διαλέκτου. τὰς μὲν οὖν ἀναγκαίας ἀρετὰς ἡ λέξις αὐτῶν πάντων ἔχει· καὶ γὰρ καθαρὰ καὶ σαφὴς καὶ σύντομός ἐστιν, ἀποχρώντως σώζουσα τὸν ἴδιον ἑκάστης διαλέκτου χαρακτῆρα· τὰς δ' ἐπιθέτους, ἐξ ὧν μάλιστα διάδηλος ἡ τοῦ ῥήτορος γίνεται δύναμις, οὔτε ἅπασας οὔτ' εἰς ἄκρον ἠκούσας, ἀλλ' ὀλίγας καὶ ἐπὶ βραχύ, ὕψος λέγω καὶ καλλιῤῥημοσύνην καὶ σεμνολογίαν καὶ μεγαλοπρέπειαν, οὐδὲ δὴ τόνον, οὐδὲ βάρος οὐδὲ πάθος διεγείροντα τὸν νοῦν, οὐδὲ τὸ ἐῤῥωμένον καὶ ἐναγώνιον πνεῦμα, ἐξ ὧν ἡ καλουμένη γίνεται δεινότης, πλὴν ἑνὸς Ἡροδότου.“ Perhibentur igitur rerum scriptores ante Thucydidem propriam orationem praetulisse Thucydidis vocabula transferendi et artificiose collocandi consuetudini ac studio, id quod haud demireris, si tecum reputaveris, antiquissimos illos Graecorum historicos in urbium suarum annalibus conficiendis, in rerum publicarum commentariis exarandis, in gentium originibus enarrandis, quod argumentum scilicet tenue et exile dicendi genus postularet et rariorem immutandi verba et flectendi imponeret necessitatem, occupatos fuisse, Herodotum vero, etsi ab antiquis rerum gestarum pronuntiatoribus ad posteriores transitum parare dicitur, quae aut ipse viderat aut fando audierat, admirabili quadam et simplicitate et castitate esse persecutum. Sed gravior et severior est Thucydidis ratio, utpote qui non in aliorum narratiunculis temere innitatur nec id habeat propositum, ut res gestas attenuate et simpliciter memoriae prodat, sed qui ipse in gestorum causas inquirat et peracri judicio tanquam trutina ea, quibus aut ipse inter-

[1]) De Thucyd. charact. c. 23.

fuerat aut quae ab aliis acceperat, pensitet ponderetque. Accedit, quod Thucydides Antiphonis, qui Gorgiam imitatus est in dicendo, frequentarat scholas, unde factum est, ut ejus scriptio novam quandam et tum quidem inauditam formam indueret, quam item Dionysius Halicarnassensis [1]) pluribus describit: „Θουκυδίδης — ἴδιόν τινα χαρακτῆρα καὶ παρεωραμένον ἅπασι (sc.[2]) οὔτε πεζὸν αὐτοτελῶς οὔτ' ἔμμετρον ἀπηρτισμένως, κοινὸν δέ τι καὶ μικτὸν ἐξ ἀμφοῖν ἐργασάμενος) πρῶτος εἰς τὴν ἱστορικὴν πραμματείαν ἐσπούδασεν εἰσαγαγεῖν· ἐπὶ μὲν τῆς ἐκλογῆς τῶν ὀνομάτων τὴν τροπικὴν καὶ γλωττηματικὴν καὶ ἀπηρχαιωμένην καὶ ξένην λέξιν προελόμενος ἀντὶ τῆς κοινῆς καὶ συνήθους τοῖς καθ' αὐτὸν ἀνθρώποις· ἐπὶ δὲ τῆς συνθέσεως τῶν τ' ἐλαττόνων καὶ τῶν μειζόνων μορίων τὴν ἀξιωματικὴν καὶ αὐστηρὰν καὶ στιβαραν [3]) καὶ βεβηκυῖαν καὶ τραχύνουσαν ταῖς τῶν γραμμάτων ἀντιτυπίαις τὰς ἀκοὰς ἀντὶ τῆς λιγυρᾶς καὶ μαλακῆς καὶ συνεξεσμένης καὶ μηδὲν ἐχούσης ἀντίτυπον· ἐπὶ δὲ τῶν σχηματισμῶν, ἐν οἷς μάλιστα ἐβουλήθη διενέγκαι τῶν πρὸ αὐτοῦ, πλείστην εἰςενεγκάμενος σπουδήν.“ Novam igitur, sive frequentiores vocabulorum translationes, sive figurarum consuetudinem ac studium spectas, Thucydides ex Dionysii judicio in historiis componendis sibi aperuit viam, qua deinceps plerique et optimi Graecorum ac Romanorum incesserunt rerum scriptores. Nam philosophia quidem et eloquentia, prior ab illis artificiosi sermonis fabricatoribus in errores inducta, posterior vero sophistarum inprimis a **Gorgia**, **Alcidamante** [4]) aliisque in cultum nimis exquisitum et fere poeticum detorta et depravata, ad rectam viam redierunt, sed historia, si aequalium solum **Xenophontem** excipias, non tam simplicitate quam exilitate in narrando insignem, scriptorum vero aetate inferiorum **Polybium**, qui et ipse suis pedibus institit, Thucydidis auctoritatem ejusque in scribendo nimiam industriam nunquam posthac excussit. Quem **Philistus** de Graecis, **Dionysius Halicarnassensis**, **Dio Cassius**, **Arrianus**, **Ap-**

[1]) Ib. c. 24.

[2]) Cf. περὶ τῶν Θουκυδίδου ἰδιωμάτων c. 2.

[3]) Quint. 10, 1, 73: „Densus et brevis et semper instans sibi Thucydides: dulcis et candidus et fusus Herodotus: ille concitatis, hic remissis affectibus melior: ille concionibus, hic sermonibus; ille vi, hic voluptate.“

[4]) De utroque cf. Westermannus l. l. p. 46. et prae ceteris Arist. Rhet. 3. 3: „Διὸ τὰ Ἀλκιδάμαντος ψυχρὰ φαίνεται· οὐ γὰρ ἡδύσματι χρῆται, ἀλλ' ὡς ἐδέσματι, τοῖς ἐπιθέτοις, οὕτω πυκνοῖς, καὶ μείζοσι, καὶ ἐπιδήλοις κ. τ. λ.“ Ibid. paulo inferius ita pergit: „Καὶ ἔτι τέταρτον, τὸ ψυχρὸν ἐν ταῖς μεταφοραῖς γίγνεται· — Οἷον Γοργίας, χλωρὰ καὶ ἔναιμα τὰ πράγματα· σὺ δὲ ταῦτα αἰσχρῶς μὲν ἔσπειρας, κακῶς δὲ ἐθέρισας· ποιητικῶς γὰρ ἄγαν, κ. τ. λ.“

pianus, Creperius Calpurnianus, Romanorum Sallustius maxime et Tacitus[1]) imitati, cujus artem alii permulti, nisi assecuti, certe incredibiter sunt admirati. Verum tamen, etsi sane Thucydides priorum scriptorum simplicitatem et castitatem perspicuitatemque respuit, quo nomine jam ab Dionysio vehementer perstringitur et nostra aetate ne Reiskii[2]) quidem aliorumque plausum tulit, noli tibi persuadere, nostrum historicum in inflectendis transferendisque vocabulis eo audaciae, quo vel scriptores aetate inferiores vel Romani, esse progressum. Est potius in Thucydide non minus quam in Theopompo, Ephoro et Philisto, qui, etsi ab antiquorum verecundia, id quod inter omnes constat, magis magisque defecerunt, propterea quod rhetores nimis in narrando egisse perhibentur[3]), tamen, sicut reliqui Isocratis discipuli, propter simplicem, perspicuum, integrum sermonem magnis laudibus mactantur, — nam ipse Philistus, quum Siculus esset, a Cicerone[4]) capitalis, creber, acutus, brevis, paene pusillus Thucydides dicitur, et secundum Dionysium imaginibus prorsus fere abstinuit, — est in Thucydide, inquam, incorrupta quaedam sermonis puritas atque integritas.[5]) Quam rarus Thucydides sit verborum immutationibus, ipse sibi quisque persuadebit, qui eas narrationes descriptionesque, quae Veteribus propter[6]) cultum orationis maxime arridebant, paulo attentius introspexerit ac pervestigaverit. Inveniuntur sane et hic et ceteroquin in Thucydidis historiis plures quam in Herodoto ex proportione natae translationes, sed frequen-

---

1) Cf. Poppo ed. Thucyd. t. I. p. 355 sqq.

2) In praefatione ad orationum Thucyd. interpretationem vernaculam. Lips. 1761. 8. — Audacius dicta sunt a nostro l. 4, 60 „καὶ τῆς ἀρχῆς ἅμα προκοπτόντων ἐκείνοις, εἰκὸς, ὅτ' ἂν γνῶσιν ἡμᾶς τετρυχωμένους, καὶ πλέονί ποτε στόλῳ ἐλθόντας αὐτοὺς, τάδε πάντα πειράσασθαι ὑπὸ σφᾶς ποιεῖσθαι.“ L. 6, 80 „ὥστε χρὴ σκοπεῖν τίνα αὐτὰ, καὶ μετεώρῳ τε πόλει ἀξιοῦν κινδύνειν, κ. τ. λ.“, quae tamen navis et reipublicae comparatio apud Veteres saepius reperitur, cf. Soph. Oed. R. 22: Πόλις γὰρ — σαλεύει. Ib. 18: „καὶ τὴν πόλιν — τρίψεσθαι τε αὐτὴν περὶ αὐτὴν — καὶ πάντων τὴν ἐπιστήμην ἐγγηράσεσθαι.“ Cf. Liv. 1, 22 „senescere civitatem otio“, et Moser ad Cic. Tusc. disp. 2, 2. Apud Latinos similiter, senescere, consenescere, marcescere, elanguescere, flaccescere, occidere.

3) Cic. Brut. 17.

4) Ep. ad Quint. frat. 2, 13; de divinat. 1, 20.

5) Cf. Poppo ed. Thuc. t. I. p. 234 et p. 88 sqq.

6) Sunt inprimis pestis descriptio l. 2, 47 sq.; caedes et pugnae in Corcyra 3, 70 sq.; proelia ad Syracusas commissa, 6, 45 sq. 70, 97.

tiores adsunt metonymiae et synecdoches species, ut emphasis, hyperbole, antiphrasis, periphrasis, abstracta pro concretis, quorum sane noster pro ingenio suo amantissimus est. Longe plurimas tamen, quum Thucydides omnino verborum et constructionum magna utatur insolentia orationisque genere perquam tortuoso et perplexo, apud eundum deprehendere licet figurarum species. Nihil profecto in ejus scriptis frequentius est quam ellipsis, σχῆμα πρὸς τὸ σημαινόμενον[1]), σχῆμα διὰ μέσου, σχῆμα ἐκ πραλλήλου, σχῆμα ἀπὸ κοινοῦ, σχῆμα καθ' ὅλον καὶ μέρος, ὁμοιοτέλευτα, ὁμοιόπτωτα, anacolutha, anantapodota, parisosis, antitheta seu contrariis opposita contraria, quibus omnino Veteres permultum tribuerunt, assimilatio, prolepsis, asyndeton, polysyndeton, quas figuras Thucydidi non forte excidisse, sed consulto ab ipso positas esse, et nonnullarum assiduitas et hujus scriptoris accuratum sollicitumque declarat narrandi genus. Ob quam artificiosam et nimis elaboratam orationis conformationem idem a Dionysio graviter exagitatus est, qui hos σχηματισμοὺς vocat μειρακιώδεις et ψυχροὺς[2]), et acerbius etiam a Reiskio, qui ejusdem artem satis amare perstringit, imo vero illudit et cavillatur. Ait enim l. l.: „Machte Thucydides seine schlechten und einfältigen Streiche nicht wieder mit großen und wunderbaren gut, — so würde ich ihn ohne alles Bedenken einen Sophisten, einen abgeschmackten, frostigen Sophisten aus des Gorgias Schule, einen unerträglichen Antithetenkrämer nennen. — Keine mathematische Figur kann sorgfältiger mit Zirkel und Reisfeder nach abgemessenen und sich auf einander beziehenden Verhältnissen entworfen sein, als in diesen Reden die ersten und letztern Abschnitte der Perioden mit einer ängstlichen Beobachtung des Ebenmaßes und des Gegensatzes auf einander passen. — Das zweite: die ewigen Antitheta, die gar kein Ende nehmen wollen. Zeile auf Zeile, Schlag auf Schlag folgen sie hinter einander 2c." Si non omnia, at certe id in hac censura verissimum est, Thucydidem quum alias tum praecipue in orationibus operi suo insertis, ob Gorgiae auctoritatem, quae tum summa erat, illo figurato sermone[3]) usum fuisse, qua in re multo etiam magis Isocrates Gorgiae praecepta tanquam exemplar sibi proposuit. Cujus eloquentia perraro quidem eas dicendi veneres sectatur, quae in translationum usu sitae sunt, sed si dictionem comtam, nitidam et adeo diligentem, ut cura ejus ac diligentia a nonnullis etiam

---

1) Cf. interp. ad l. 1, 90; 2, 47.

2) Cf. Poppo t. 1. p. 261.

3) Quum Thucydidis sermoni tot tantaque insint eximia ac peculiaria, jam inter Veteres de ipso exposuit Marcellinus, cujus operis fragmentum adhuc exstat, tum Evagoras grammaticus lexicon et rhetoricen, quae tamen aetatem non tulerunt, et Dionysius Halic. duos libellos confecit.

reprehendatur [1]), spectes, Polum illum, Tisiam, Gorgiam, Thrasymachum, non solum imitatus esse, verum eorum genus ἐπιδεικτικὸν etiam perfecisse et correxisse putandus est. Luculentum est de hac re Ciceronis [2]) testimonium: „Nam — paria paribus adjuncta et similiter definita, itemque contrariis relata contraria, quae sua sponte, etiamsi id non agas, cadunt plerumque numerose, Gorgias primus invenit, sed his est usus intemperantius. — Horum uterque (Thrasymachus et Gorgias) Isocratem aetate praecurrit, ut eos ille moderatione, non inventione vicerit. Est enim, ut in transferendis faciendisque verbis tranquillior, sic in ipsis numeris sedatior. Gorgias autem avidior est generis ejus et his festivitatibus (sic enim ipse censet) insolentius abutitur, quas Isocrates — moderatius temperavit etc.“ Quodsi jam h. l. Isocrates nimio sophistarum in dicendo cultu ac nitore abstinuisse inque transferendis verbis tranquillior fuisse dicitur, sane hoc altero ornatu tantopere alienus fuit, ut, si metonymiae et synecdoches quasdam species, ut emphasin, hyperbolen, periphrasin, excipias, vix ulla in ejus operibus exstent translationis vestigia, at σχήμασιν, ut prolepsi, annominatione, comparatione, quae tamen propriis vocabulis effertur, interrogatione, ἀντικειμένοις, inversione aliisque permultis figuris tam saepe orationem exornat atque distinguit, ut ipse ἐσχηματισμένος [3]) diceretur, ejus sermo autem omnibus numeris esse crederetur absolutus, quam Isocratis praestantiam nemo Graecorum, quamvis plurimis ab Isocrate ars oratoria sit impertita [4]), nedum Romanorum est assecutus. Omnino vero id in Veterum lectione observari potest, quo magis quis in figurarum consuetudine et oratione undique consummanda perpoliendaque occupatus est, eo rarius eundem voces a propria significatione ad non propriam traducere, et rursus, quo magis quis ad interiorem rerum, quae tractantur, naturam descendit penetratque, eo liberius illius mentem vagari et, si nomina rerum parum respondent cogitatorum aut sublimitati aut subtilitati, ad imagines translationesque confugere. Illud a Graecis plerumque factitatum est, non quo illi iis mentis viribus destituti fuerint, quibus ad subtiliorem rerum cognitionem pervestigationemque pervenitur, sed quia adeo venustatis sensu ducebantur

---

1) Cf. Quint. 10, 1, 79; Plat. Phaed. c. 64; Plut. X. or. vit.; copiosiius est de Isocrate Dionysii judicium (p. 534 — 585).

2) Orat. 52. — De sophistarum ratione cf. omnino orat. 19, 65.

3) Clemens historicus, teste Suida, ἔγραψε Ῥωμαίων βασιλεῖς καὶ αὐτοκράτορας καὶ πρὸς Ἱερώνυμον περὶ τῶν Ἰσοκρατικῶν σχημάτων καὶ ἄλλα.

4) De Isocratis discipulis cf. Westerm. l. l. p. 83.

in omnibus rebus, ut nunquam propter cogitationem quandam, vel maxime reconditam, cogitationis formam negligerent ejusque essent immemores. Unde factum est, ut Graecorum litterae aeque ac artes non solum mira splendeant pulchritudine, verum etiam, quia ipsi non tam mentis commenta, quam sensuum accuratam perceptionem sequuntur, ubique summam ostendant veritatem. Quae vera rerum descriptio, nullo verborum fastidio fucoque depravata, similiter in Thucydide atque in Isocrate, similiter in Xenophonte atque omnino in optimis Graecorum oratoribus deprehenditur. Nemo temere hanc menti informet sententiam, Thucydidem, Isocratem, Xenophontem ideo orationes suas illis luminibus notandi illustrandique curam abjecisse, quod fori negotia detrectaverint, nam eadem castitas ac verecundia in omnibus Atticorum scriptoribus inest. Quantopere Attici oratores id dicendi genus repudiarint, quod optimo cuique Romanorum et ipsi Ciceroni maxime arridebat quodque Romanis validissimum accommodatissimumque et commovendis et oblectandis hominum animis videbatur, locus quidam Aeschinis contra Ctesiphontem [1]) planissime testatur. Objicit inibi Aeschines Demostheni suam reipublicae administrandae rationem eo tempore, quo magna Athenienses insigniter adjuvandi se offerebat opportunitas; at tum Demosthenem, quaeterquam quod deses et incuriosus fuerit, etiam mire se praestitisse grandiloquum, quam grandiloquentiam hisce verbis auditoribus in memoriam revocat: „Οὐ μέμνησθε αὐτοῦ τὰ μιαρὰ καὶ ἀπίθανα ῥήματα, ἅ πῶς ποθ᾽ ὑμεῖς, ὢ σιδήρεοι, ἐκαρτερεῖτε ἀκροώμενοι; ὅτε ἔφη παρελθὼν, „ἀμπελουργοῦσί τινες τὴν πόλιν, ἀνατετμήκασί τινες τὰ κλήματα τοῦ δήμου, ὑποτέτμηται τὰ νεῦρα τῶν πραγμάτων, φορμοῤῥαφούμεθα ἐπὶ τὰ στενὰ, τινὲς πρῶτον ὥσπερ τὰς βελόνας διείρουσι“ ταῦτα δὲ τί ἐστιν, ὦ κίναδος; ῥήματα ἢ θαύματα;“ Quis, quaeso, Romanorum, si similem sententiam exprimere voluisset et omnino Romani verbis conjunctis tantum valerent, quantum Graeci, dubitasset dicere: urbem vineti instar excidere [2]), ramos populi amputare [3]), nervos rerum succidere? Quae sequuntur, vel obscura sunt vel corrupta. At Aeschines haesitat, istane

---

1) §. 166.

2) Imo vero Cicero plus semel voce excidendi urbium dirutionem significat adeoque eadem imagine utitur (cf. Dom. 23; Sext. 34), et Horatius similiter dicit (Ep. 2, 1, 219): „Multa quidem nobis facimus mala saepe poetae (Ut vineta egomet caedam mea), quum tibi librum Sollicito damus aut fesso.“ In eandem translationem saepenumero verba praecidere, circumcidere, resecare, traduci notissimum est.

3) Quanto audacius Cicero Tus. 3, 6: „Nos autem audeamus non solum ramos amputare miseriarum, sed omnes radicum fibras evellere.“ Cf. amputare moras ap. Just. 24, 7.

verba an potius monstra sint dicenda, et Athenienses nimiae indulgentiae coarguit, qui olim ejusmodi venditationem patienter audire sustinuerint.[1]) Et sane quam, etsi ille locus a scriptorum posteriorum in transferendo libertate multo superatur, tamen Demosthenes, quem Plutarchus *ῥητόρων δυνατώτατον*[2]) vocat, ut ceteroquin priores oratores longe post se reliquit, propterea quod, quaecunque in illis eximia et singularia fuerant, imitatus est inque usum suum convertit, sic eosdem vocabulorum et audaciore copulatione et liberiore immutatione aliquanto egressus est. Sed ut dilucide explicem, quantum summus orator in transferendo sibi indulserit, quae in III oratione Olynthiaca primariae inveniuntur translationis formae, hic exscribam. Sunt quidem, quae insequuntur: §. 1) *τὰ δὲ πράγματα εἰς τοῦτο προήκοντα*, ib. *παριστάναι* de eo, qui rem clare ob oculos ponit, §. 2) *ἀρχὴν-ὑποθέσθαι*, §. 3) *τὰ πλείω τῶν πραγμάτων ὑμᾶς ἐκπεφευγέναι*, quae locutio, Demostheni adamata, a feris sumta est, quae venatorum retia elabuntur, §. 7) *ὥσπερ ἐμπόδισμα*, ubi particulam *ὥσπερ*, quemadmodum Latini u t, q u a s i, u t i t a d i c a m, mitigandi causa adjiciunt, quia orator cogitabat, primam illius vocis notionem esse impedimentum *τοῖς ποσὶν*, ad indicandam translationem satis verecunde appositam videmus[3]), §. 8) *περιστάσης ἂν ἡμᾶς αἰσχύνης*, ibid. *ἐπικλῖναι τὰ πράγματα*, §. 9) *περιστήσεται τὰ πράγματα*, §. 10) *τοὺς εἰς τὸ παρὸν βλάπτοντας (νόμους) ὑμᾶς λύσατε*, §. 11) *τὴν τοῦ — λέγειν ὁδὸν*, §. 13) *τοὺς νόμους-παραβάντα*, §. 22) *προπέποται τῆς παραυτίκα χάριτος τὰ τῆς πόλεως πράγματα*[4]), §. 28) *τὰ τῶν ἄλλων δίκαια βραβεύειν*, i. e. *διοικεῖν*, §. 31) *ὑμεῖς δ' ὁ δῆμος ἐκνενευρισμένοι καὶ περιῃρεμένοι χρήματα καὶ συμμάχους ἐν ὑπηρέτου καὶ προςθήκης μέρει γεγένησθε*, qui locus a grammaticis et propter *σχῆμα καθ' ὅλον* laudatur et translationem continet, Graecis quidem satis audacem visam, quam ob rem Demosthenes explicandi causa statim *περιῃρημένοι* subjicit, §. 31) *τιθασεύουσι χειροήθεις αὐτοῖς*

---

[1]) Ad nostram Aeschinis criminationem respicit Demosth. de cor. §. 232: „*Καὶ μὴν οὐδὲ τοῦτ' εἰπεῖν ὀκνήσω, ὅτι ὁ τὸν ῥήτορα βουλόμενος δικαίως ἐξετάζειν καὶ μὴ συκοφαντεῖν οὐκ ἂν, οἷα σὺ νῦν ἔλεγες, τοιαῦτα κατηγόρει, παραδείγματα πλάττων καὶ ῥήματα καὶ σχήματα μιμούμενος.*"

[2]) Qnint. 10, 1, 76: Quorum longe princeps D e m o s t h e n e s, ac paene lex orandi fuit: tanta vis in eo, tam densa omnia, ita quibusdam nervis intenta sunt, tam nihil otiosum, is dicendi modus, ut nec quid desit in eo, nec quid redundet, invenias." Cf. Cic. Brnt. c. 9.

[3]) Cf. Plat. Phaed. ed. Stallb. p. 126: „*καὶ ὥσπερ ὑπέμνησέ με*," et quasi me commonefecit.

[4]) Similiter Demosth. de cor. §. 296: „*τὴν ἐλευθερίαν προπεπωκότες πρότερον μὲν Φιλίππῳ, νῦν δὲ Ἀλεξάνδρῳ.*" Harpocration v. *προπεπωκότες*: *ἀντὶ τοῦ προδεδωκότες ἐκ μεταφορᾶς.*

ποιοῦντες. Sunt igitur in tota hac Demosthenis oratione vix tres aut summum quatuor audaciores translationes[1]), nam quae praeterea annotavi, trita sunt omnium scriptorum usu ac consuetudine. Sed quo rarior Demosthenes est vocabulorum immutationibus, eo magis, ut reliqui Attici, figuras celebrat, id quod cuivis in ejus lectione vel mediocriter versato facile persuadebitur. Adeoque Tiberio grammatico operae pretium esse videbatur, *περὶ τῶν παρὰ Θημοσθένει σχημάτων* peculiarem libellum conscribere et, quum Demosthenes tantum temporis operaeque causis suis insumeret, Pytheas eas lucernam redolere cavillabatur. Et revera, qui ad hanc rem attendit, sexcentas *σχημάτων* formas ex Demosthene expiscari potest, quarum ellipsis, aposiopesis, irrisio, *ἀντικείμενα*, lusus verborum, dubitatio, correctio, attractio, prolepsis, sunt frequentissimae. Quin adeo nonnullae figurarum species in hoc oratore insunt, quarum apud recentiores, opinor, nullum, apud antiquos praeterea vix ullum apparet vestigium. In iis numero coacervationem vel gradationem, qualis apud eundem de corona[2]) exhibetur: „*οὐκ εἶπον μὲν ταῦτα, οὐκ ἔγραψα δὲ, οὐδ' ἔγραψα μὲν, οὐκ ἐπρέσβευσα δὲ, οὐδ' ἐπρέσβευσα μὲν, οὐκ ἔπεισα δὲ Θεβαίους, κ. τ. λ.*" Nec vero mirum est, in Demosthene tot figurati sermonis exempla comparere, quum in vulgus notum sit, quantopere noster Thucydidis lectione delectatus fuerit, quam Isocratis idem fuerit assiduus sectator[3]), quanto plus denique non solum Demosthenes, sed omnes omnino oratores Attici orationis conformationi et concinnitati i. e. figuris, quam translationibus tribuerint. Unde factum est, ut et Quintiliani aetate[4]) ii, qui in dicendo cultu ac sententiis carerent, Atticis se pares crederent, et ipse Demosthenes Ciceroni non aliter atque Homerus Horatio interim dormitare videretur[5]), quia scilicet uterque raro eo ornatu, quo Romani maxime delectabantur, insignis est. Sed alia Atticorum[6]) ratio est, alia oratorum Romanorum. Etenim illi non solum rhetorum scholas, sed etiam philosophorum frequentabant, id quod quum alios, tum inprimis Periclem et

---

[1]) De Atticis orat. cf. omnino Cic. de or. 2, 23: „— et ii, qui se ad causas contulerunt, ut Demosthenes, Hyperides, Lycurgus, Aeschines, Dinarchus aliique complures, etsi inter se pares non fuerunt, tamen s u n t o m n e s i n e o d e m v e r i t a t i s i m i t a n d a e g e n e r e v e r s a t i."

[2]) §. 179. Cf. Quint. 9, 3, 54; Aquila Rom. p. 181.

[3]) Plut. X. orat. vit. l. l. p. 238.

[4]) 10, 2, 17.

[5]) Ib. 1, 24.

[6]) Eorum eloquentiae propria est s a n i t a s, s a l u b r i t a s, s u b t i l i t a s; cf. Westerm. l. l. §. 67. Tria illa dicendi genera, *τὸ ἁδρὸν, ἰσχνὸν, μέσον*, ad posteriora tempora spectant.

Demosthenem, quorum hic, praeterquam quod Thucydidis libros assidue lectitabat ac describebat, insuper Platonem et Euclidem Megarensem audivit, factitasse inter omnes constat, hi autem, vel, ut pro universis oratoribus eorum principem dicam, Cicero nec Thucydidem nec Xenophontem oratori utilem putabat [1]), sed in poëtarum potius lectione, unde in rebus spiritus, in verbis sublimitas, in affectibus motus, in personis decor peteretur, requiescendum arbitrabatur [2]). Atqui, si Atticorum oratores et historici, — nam de reliquis scriptoribus hic non attinet mentionem facere, propterea quod argumentum, in quo versantur, multo etiam rarius ipsis verba ad non propriam significationem deflectendi vel praebet occasionem vel injungit necessitatem —, id quod ex antegressis cogitur, conspicui sunt figurarum quidem frequenti usu, at contra translationum multa raritate, ex qua mira Graecorum scriptorum integritas et quaedam incorrupta sanitas exoritur, cave putes, Graecos, quippe ubique naturam imitantes et sensibus nimis multum tribuentes, illa mentis dexteritate, rerum similitudines inter se conferendi, unde omnis translatio proficiscitur, fuisse destitutos. Etenim haec opinio non solum Pindari [3]) sublimitate,

---

[1]) Ib. 1, 33.

[2]) Ib. 1, 27.

[3]) Ut luculentius appareat, quot modis Pindarus unam notionem variare sciat, hic eas locutiones, quibus canendi impetum exprimit, apponam. Sunt: πτυχαὶ ὕμνων, οὖρος ἐπέων (ὕμνων), ὄχημα ἀοιδᾶν, πρόςφορος ἐν Μουσᾶν δίφρῳ, Μουσᾶν ὕμνοι, ὁδὸς λόγων, similiter οἶμος (οἴμη jam apud Homerum Od. 8, 74, 481; 22, 347 vel de ipso carmine vel de canendi modulis) et κέλευθος de poëta, qui mente aliquo tendit, πλέκειν ὕμνον, ἄνθεα ὕμνων, λιγυρὴ ἀοιδὴ, κρητὴρ vel φιάλη μελέων (μύθων, λόγων), ὀξύνεται γλῶσσα s. στόμα, qui tropus saepius redit, λόγον ῥίψαι, ἄκμων de lingua, ἐκβάλλειν s. ἐκρίπτειν ἔπος, βέλος et ὀϊστὸς de cantilena, ἐξαίρετον Χαρίτων νέμεσθαι κᾶπον, χαμαιπετέων λόγων ἐφάπτεσθαι, μαλεραῖς ἐπιφλέγειν ἀοιδαῖς (Pind. Ol. IX, 24), quae audacissima μεταφορὰ eo lenitur, quod illud carmen ex Dissenii conjectura noctu inter faces ardentes decantatum est, καλλίνικος κεχλαδὼς, πνοαὶ i. e. cantus, πόνος de carmine, πρόθυρον de carminis prooemio, λιγὺν οἶμον ἐπέων ἐγείρειν, ἰαχεῖν, φόρμιγγ' ἐλελίζειν, ἄωτον ἵππων (χειρῶν, ἀρετᾶν), χλιδῶσα μολπὰ, σοφίας ἆθλον aliaque. Quamvis vero plurimae ut carminis sic victoriae ac fortunae aliarumque notionum ex Pindari profundo ore, ut cum Horatio loquar, profluant permutationes, quarum et alias, si per hujus libelli angustias liceret, perscriberem, tamen omnes rebus praesentibus, id quod Dissenius saepius annotavit (cf. ipsum ad Ol. VII, 1; IX, 22), optime accommodantur nec tam ex arte quam ex ingenii divitiis ac mentis elatione proficiscuntur, qua in re Pindarus a posteriorum poëtarum carminibus facticiis valde differt. Omnes tamen Pindari translationes a rebus sensibus subjectis, in-

tragicorum in choris elatione altitudineque, ceterorum lyricorum cantilenis excelsis, verum etiam uno prosae orationis scriptore abunde refellitur, dico Platonem. Is enim, ut ceteroquin, sic in transferendi consuetudine proxime ad eam sentiendi cogitandique rationem accedere putandus est, quae sacris Christianis inter homines, si non nata, certe firmata admodum et corroborata est. Quapropter non sine justa causa hujus philosophiae praecepta cum nostra religione egregrie conspirare dicuntur [1]) et Plato ipse omnium hominum ac temporum judicio vir habitus est plane divinus. Etsi Aristoteles acri suo ingenio certam philosophandi viam rationemque invenit et eo praeterea immortaliter de sapientia meritus est, quod quum plures philosophiae partes excoluit atque perfecit, tum primus res, quae ad mentem spectant quaeque sensibus percipiuntur, altissima et eruditione et meditatione inter sese dissociavit, qua laude Aristoteles ceteros antiquitatis philosophos longe praestare videtur, tamen Plato, qui non solum cogitationum multiplices flexiones et, ut Gellius dicit, dialecticae gyros et maeandros mente persequitur ac pervestigat, verum etiam ad animi humani intimos recessus et quasi penetralia altissime descendit, dubito an ab omnibus reliquis philosophis et ab ipso Aristotele palmam ferat. Haec inprimis Platonis praestantia effecit, ut ipsius scriptio multum supra prosam orationem assurgeret, ut Platonis dialogi poëtico fere cultu eniterent et nunc figurarum diversissimas species, erat enim diligentissimus compositionis [2]), nunc plerosque transferendi modos, ut plenas et breviores comparationes, periphrasin, irrisionem, προςωποποιΐας, festivas ἀλληγορίας, facetiarum egregia exempla, plurimas translationes κατ' ἀναλογίαν [3]), ostenderent. Sed neminem haec Platonis transferendi consuetudo inducat, ut illum cum posterioribus vel poëtis vel oratoribus vel sophistis denique conferat. Etenim dum in Platone ex summa arte summoque ingenio ac paene divino illa absolutio perfectioque in scribendo nascitur, quam satis mirari

---

primis earum flore, a solis luce, auri splendore, maris undis, montium cacumine, rerum motu, inprimis avium volatu, navium cursu, peti, primo adspectu elucet. Sed praeter translationes sensu proprio summus lyricus maximopere celebrat synecdoches et metonymiae species, ad quam rem sane plurimum valent fabulae carminibus admixtae, tum comparationes, personificationes, irrisionem, et longe plurimas figuras. Nam ne hic quidem σχηματισμὸν desiderari, quum omnino Graecorum indoles, tum lyricae poësis, qualis apud Graecos fuit, probat natura.

[1]) Cf. qui nuper de hac re disputavit, Dr. Schmitt: De Platonis philosophia morali quomodo concinat cum doctrinae Christianae praeceptis, in Prog. Quedlinburg. anni 1841.

[2]) Quint. 9, 4, 77.

[3]) Alius locus erit, ubi, quum nunc eo, quo tendo, properandum sit, quae ex Platone collegi, expromam.

non possumus, in posterioribus Graecorum scriptoribus fere omnibus nimia inest flosculorum captatio, nimium imaginibus auditorum plausum ferendi studium, nec naturalis quaedam et nativa, sed facticia ac fucosa facundia eloquentiaque. Sic in carmine epico ab Homeri simplicitate ac veritate jam Platonis aetate Choerilus et Antimachus multum desciverant, non tam illi quidem prava sua indole, quam temporum mutato ingenio, quorum ille in transferendo tantum sibi indulsit, ut lapides matris terrae ossa, flumina ejus venas et alia ejusmodi dicere non dubitaverit [1]). Sic in eloquentia primi Demades et Pytheas [2]) non ea, qua priores oratores, inclaruere exercitatione meditationeque, sed facetiis vel potius dicacitate sua, quarum haec in vocabulis translatis praecipue cernitur inque acriore ingenio, quum facetiae, quales in Lysia, Hyperide, Demosthene, fuerunt, majoris sint artis [3]). Sed quia hi oratores minorem auctoritatem inter aequales habuerunt et praeterea jam eo tempore aliquam nominis famam adepti sunt, quo Demosthenes atque Aeschines florebant, primus Demetrius Phalereus eloquentiam effeminasse dicitur eamque teneram ac mollem reddidisse [4]). Quantopere ejus mollius ac remissius dicendi genus translationes et illas verborum festivitates jucunditatesque celebraverit, testatur Cicero [5]) his verbis: „Haec (μετωνυμίαν, κατάχρησιν, ἀλληγορίαν) frequentat Phalereus maxime, suntque dulcissima: et quanquam translatio est apud eum multa, tamen immutationes nusquam crebriores“ etc. Et alio loco [6]) de eodem ita loquitur: „Mihi quidem ex illius (Phalerei) orationibus redolere ipsae Athenae videntur. At est floridior, — quam Hyperides, quam Lysias.“ Verum

---

1) Cf. Bode Geschichte der epischen Dichtkunst der Hellenen p. 509 sqq.
2) De utroque cf. Westerm. §. 54.
3) Cf. Cic. or. c. 28. Veri Attici omnino facetiarum et urbanitatis erant studiosissimi, unde facetus apud Graecos εὐφυής, κομψός, εὐτράπελος vocabatur, Demades contra et Pytheas non tam leporem Atticis innatum ostendebant, quam eam dicacitatem eaque dicteria ac sales, quibus Romani conspicui erant, ex qua Romanorum indole satira quoque nata est. Cf. Bernhardy. Grundriß der röm. Literatur not. 13.
4) Cic. Brut. 9: „Hic primus inflexit orationem, et eam mollem teneramque reddidit, et suavis, sicut fuit, videri maluit, quam gravis: et suavitate ea, qua perfunderet animos, non qua perfringeret: tantum ut memoriam concinnitatis suae, non (quemadmodum de Pericle scripsit Eupolis) cum delectatione aculeos etiam relinqueret in animis eorum, a quibus esset auditus.“
5) Or. 27.
6) Brut. 82.

jam in Phalerei praeceptore, Theophrasto, Quintilianus affirmat [1]), tam divinum fuisse loquendi nitorem, ut ex eo nomen quoque traxerit. Ex Demetrio Attica eloquentia, ut jam antea Graecorum libertas, exstincta est et posthac in sophistarum scholis delituit, quarum celeberrimam Aeschines Rhodi condidit, interpositam illam inter Asianos et Atticos. Horum omnium ingenium dilucide explicat Quintilianus.[2]) „Et antiqua quidem, inquit, illa divisio inter Atticos atque Asianos fuit: quum hi pressi et integri, contra inflati illi et inanes haberentur; in his nihil superflueret, illis judicium maxime ac modus deesset. Quod quidam, quorum et Santra est, hoc putant accidisse, quod, paulatim sermone graeco in proximas Asiae civitates influente, nondum satis periti loquendi facundiam concupierint: ideoque ea, quae proprie signari poterant, circuitu coeperint enunciare, ac deinde perseverarint. Mihi autem orationis differentiam fecisse et dicentium et audientium naturae videntur: quod Attici, limati quidam et emuncti, nihil inane aut redundans ferebant; Asiana gens, tumidior alioqui et jactantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata est. Tertium mox, qui haec dividebant, adjecerunt genus Rhodium, quod velut medium esse atque ex utroque mixtum volunt.“ Genus Asianum rursus Cicero [3]) esse voluit bipartitum, in quibus jam plus plusque Atticorum salubritas atque integritas desideratur inque earum locum omnis generis lascivia et luxuries omniaque orationis lumina ac stellae subornantur. Quum Cicero non solum graecorum philosophorum scholas frequentarit, ut Phaedri, Archiae, Diodoti, Posidonii, Philonis, Antiochi, quorum plerosque ab eo, quod tum maxime plausum ferebat, dicendi genere haud alienos fuisse consentaneum est, sed etiam graecorum rhetorum, ut Xenoclis, Dionysii, Menippi, Apollonii, Molonis, Demetrii, Aeschyli, Antiochi [4]), quorum plures Asiano generi addicti erant, ecquid mirum est, si in principe oratorum Romanorum fere idem, quod in illis Asianis, deprehendimus exornandi et illuminandi studium? Cui eloquentiae ille inprimis juvenis tantum tribuit, ut etiam Molon nimiam ejus luxuriem cohiberet [5]). Quidquid igitur Cicero de Platonis et Demosthenis imitatione, quidquid de sua eloquentia tanquam interposita inter Hortensium, qui jam ante

---

1) 10, 1, 83.
2) 12, 10, 16.
3) Brut. 13; 95.
4) Cic. Brut. 91.
5) Ib.

Ciceronem genus Asianum amplexatus erat, et horridiores illos et incultiores Romanorum oratores, quales Galba, Carbo, Scipio Africanus, Laelius, et ipse Antonius fuerant, praedicat, ejus dictio nimiam illam redundantiam cultumque nunquam deposuit, qua in re ab Atticorum sanitate et verborum proprietate mirum quantum distat et Atticis sane multimodis inferior est. Inter ipsos Romanos non defuerunt[1]), qui Ciceronem hoc nomine increparent, et sane, si ejus opera, inprimis orationes, evolvas, tantam vocabulorum translatorum multitudinem uno saepe loco coacervatam videbis, quantam in cujuslibet Attici oratoris vix universa oratione. Quod ut probem, quemadmodum ex una Demosthenis oratione,

---

[1]) Script. Dialog. de orat. c. 18: „Satis constat, ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens nec satis pressus, sed supra modum exsultans et superfluens et parum antiquus videretur. Legistis utique et Calvi et Bruti ad Ciceronem missas epistolas: ex quibus facile est deprehendere, Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et attritum, Brutum autem otiosum atque disjunctum: rursusque Ciceronem a Calvo quidem male audisse tanquam solutum et enervem: a Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tanquam fractum atque elumbem.“ Adde Quint. 12, 10, 12: „Quem (Ciceronem) tamen et suorum homines temporum incessere audebant ut tumidiorem, et Asianum, et redundantem, et in repetitionibus nimium, et in salibus aliquando frigidum, et in compositione fractum, exultantem, ac paene, quod procul absit, viro molliorem. — Praecipue vero presserunt eum, qui videri Atticorum imitatores concupierant. Haec manus, quasi quibusdam sacris initiata, ut alienigenam parum studiosum devinctumque illis legibus insequebatur: unde nunc quoque aridi et exsucci et exsangues.“ Ib. 12, 1, 22: „nec Cicero Bruto Calvoque videtur satis esse perfectus, qui certe compositionem illius etiam apud ipsum reprehendunt, nec Asinio utrique, qui vitia orationis ejus etiam inimice pluribus locis insequuntur.“ Aul. Gell. 17, 1 —: „ita nonnulli tam prodigiosi tamque vecordes exstiterunt, (in quibus sunt Gallus Asinius et Largius Licinius, cujus liber etiam fertur infando titulo, Ciceromastix), ut scribere ausi sint, M. Ciceronem parum integre atque improprie atque inconsiderate loquutum.“ Cf. interpp. ad h. l. et quem locum ex Ammiano Marcellino l. 22. laudant. Cf. Cic. orat. c. 11, ubi ipse formam γένους ἐπιδεικτικοῦ magnis laudibus effert. Dicit enim: „est enim illa quasi nutrix ejus oratoris, quem informare volumus —. Ab hac et verborum copia alitur, et eorum constructio, et numerus liberiore quadam fruitur licentia“ etc. Probat ibid. c. 13. valde Isocratem et ostendit simul, se a multis reprehendi, quanquam hanc vituperationem propter Catonis laudes pro nihilo putet. De orat. 1, 28: „In oratore autem — sententiae philosophorum, verba prope poëtarum, — gestus paene summorum actorum est requirendus.“ Brut. 59, 216. „itaque in Curione hoc verissime indicari potest, nulla re una magis oratorem commendari quam verborum splendore et copia. Quint. 12, 10, 52: „Quodsi mihi des consilium judicum sapientum, perquam multa recidam ex orationibus non Ciceronis modo, sed etiam ejus, qui est strictior multo, Demosthenis.“

quae essent inflexa et commutata, exscripsi, item ex Ciceronis pro Milone oratione, non tota quidem illa, sed aliqua ejus parte, eadem legentium oculis subjiciam. In primo statim capite haecce in non proprium sensum mutata sunt: ad — causam parem animi magnitudinem affere; qui (oculi), quocunque inciderunt, veterem consuetudinem fori — requirunt; Non enim corona consessus vester cinctus est; — non usitata frequentia stipati sumus; illa praesidia (i. e. milites in praesidium dati) — afferunt; praesidiis — septi sumus, quae si opposita Miloni putarem, cederem tempori; inter tantam vim armorum i. e. multitudinem armatorum; me recreat et reficit — Pompeji — consilium, qui profecto nec justitiae suae putaret esse, quem reum sententiis judicum tradidisset, eundem telis militum dedere, nec sapientiae, temeritatem concitatae multitudinis — armare; arma i. e. armati — denuntiant; exitum judicii — videtis; virtuti Milonis favet. In c. II. huc spectant: Unum genus —, quod — Clodii furor rapinis et incendiis et omnibus exitiis publicis pavit[1]); qui hesterna etiam concione incitati sunt, ut vobis voce praeirent; adeste animis; timorem — deponite; locus i. e. occasio; vestrae auctoritati dediti fuimus; quid — nobis duobus — laboriosius? quid magis sollicitum, magis exercitum —? ad rempublicam adducti; tempestates et procellas, in illis dumtaxat fluctibus concionum[2]), putavi — esse subeundas; salutem — exstinguendam; gloriam — infrigendam; praeclara — merita condonetis; ut — eam (mortem) — populi Romani felicitati assignetis. Haec sunt, quae in primis duobus cc. translata inveniuntur, ubi insuper oratio plerumque sedatior esse solet, quanquam omnino illa Milonis defensio multo est tranquillior, quam aliae Ciceronis causae, ut pro Coelio, in Pisonem, pro lege Manilia, ubi sane magnum flumen inanium verborum et tales superjectiones deprehenduntur, quas Aristoteles μειρακιώδεις vocat. Sed jam ante Ciceronem vestigia adsunt inter Romanos illius eloquentiae redundantis et uberioris, id quod vix credas, in Catone Censorio[3]),

---

[1]) Inter Graecos soli poëtae aeque audaces sunt in transferendo, ut Aesch. VII cont. Th. 229: τούτῳ γὰρ Ἄρης βόσκεται φόνῳ βροτῶν; cf. Theocrit. Idyll. 11, 80; Pind. Ol. 10, 9.

[2]) Haec translatio jam apud Homerum Il. 2, 144 invenitur, sed verecundius, adjecto ὡς, expressa est; praeterea apud Euripid. Hecub. 118. Demosthenes, quamvis fortissimus orator, tamen plena quam breviore comparatione uti maluit, de fals. leg. 1 p. 54 Tauch.

[3]) Cf. Cic. Brut. c. 16, ubi Cato cum Lysia comparatur: „Acuti sunt, elegantes, faceti, breves, sed ille Graecus ab omni laude felicior. — Verum est certe genere toto strigosior, sed habet

Caj. Graccho [1]), Crasso [2]), Philippo facetiis suis inclyto [3]), inprimis vero in Hortensio, qui genere Asiatico florens clamores faciebat adolescens [4]), in Pompejo [5]). Ne in Julio Caesare quidem illa orationis lumina desiderabantur, imo vero commentariorum suorum exilitatem ac tenuitatem vividioribus in dicendo coloribus videtur compensasse. [6]) Quodsi igitur jam Cato et omnino optimus quisque orator, republica durante, id potissimum dicendi genus sibi elegit, quod Attici aut ignorarent aut etiam aspernarentur, numne nos admiratio debet subire, si, exstincta libertate et eloquentia in scholarum umbraculis delitescente, quanquam non prorsus deerant, qui antiquos consectarentur, ars oratoria magis magisque in luxuriem et mollitiem degeneravit omnesque cincinnos lenociniaque arcessivit? Quin adeo tantopere sub principatu a proprietate et rerum et verborum declinandi invaluit studium, ut illae figuratae controversiae [7]) sive *ἀγῶνες ἐσχηματισμένοι* ingruerent, quod genus, oblique, tecte et simulate dicendi causa inventum, ex scholis etiam in forum traductum videtur. Quam iniqua illis temporibus publica eloquentia usa fuerit conditione, luculentum testimonium legitur in dialogo de orat. [8]): — „novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est, per quae orator fastidium

---

tamen suos laudatores, qui hac ipsa ejus subtilitate admodum gaudeant.“ — De Catone paulo inferius ita pergit: „Refertae sunt orationes (Catonis) — et verbis et rebus illustribus. — Jam vero Origines ejus quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent? — Ornari orationem Graeci putant, si verborum immutationibus utantur, quos appellant *τρόπους*, et sententiarum orationisque formis, quae vocant *σχήματα*. Non veri simile est, quam sit in utroque genere et creber et distinctus Cato. Cf. Catonis fragment. apud Gell. 1, 15. Omnino antiquos oratores parabolis refertos fuisse, Seneca dicit Ep. 59.

1) Plut. Ti. Gracch. c. 2. — „ὁ δὲ Γαΐου (sc. λόγος) πιθανὸς καὶ γεγανωμένος“; Cic. Brut. 33: „noli enim putare, quenquam, Brute, pleniorem et uberiorem ad dicendum fuisse.“ Propter hanc ipsam causam Caji orationes etiam postea in rhetorum scholis lectitabantur. Cf. Aul. Gell. 11, 13.

2) Dialog. de orat. c. 18.

3) Cic. Brut. 47.

4) Ib. 95.

5) Ib. 68.

6) Ib. 75: „itaque quum ad hanc elegantiam verborum latinorum adjungit illa oratoria ornamenta dicendi, tum videtur tanquam tabulas bene pictas collocare in bono lumine“ etc. Cf. Quint. 10, 1, 114: „Exornat tamen haec omnia mira sermonis, cujus proprie (i. e. maxime) studiosus fuit, elegantia.“

7) Cf. Quint. 9, 2, 65; Vid. omnino Ernest. l. l. v. figura.

8) C. 19.

aurium effugiat, utique apud eos judices, qui vi et potestate, non jure et legibus cognoscunt, et nec accipiunt tempora, sed constituunt, nec exspectandum habent oratorem, dum illi libeat de ipso negotio dicere, sed saepe ultro admonent atque alio transgredientem revocant et festinare se testantur.“ Et paulo inferius [1]): „Praecurrit hoc tempore judex dicentem et, nisi aut cursu argumentorum aut colore sententiarum aut nitore et cultu descriptionum invitatus et corruptus est, aversatur dicentem. Vulgus quoque adsistentium et adfluens et vagus auditor adsuevit jam exigére laetitiam et pulchritudinem orationis; nec magis perfert in judiciis tristem et inpexam antiquitatem —. Jam vero juvenes — referre domum aliquid inlustre et dignum memoria volunt: traduntque invicem ac saepe in colonias ac provincias suas scribunt, sive sensus aliquis arguta et brevi sententia effulsit, sive locus exquisito et poetico cultu enituit. Exigitur enim jam ab oratore etiam poeticus decor, non Attii aut Paccuvii veterno inquinatus, sed ex Horatio et Virgilii et Lucani sacrario prolatus [2]).“ Quin adeo ipse Quintilianus [3]) postulat, ut Romanus orator alia via incedat ac Graecus, ait enim: „Sensus sublimes variique eruantur. Permovendi omnes affectus erunt, oratio translationum nitore illuminanda. Non possumus esse tam graciles: simus fortiores. Subtilitate vincimur: valeamus pondere. Proprietate penes illos est certior: copia vincamus. Ingenia Graecorum, etiam minora, suos portus habent: nos plerumque majoribus velis moveamur, validior spiritus nostros sinus tendat. — verborum gratia, quam in ipsis non habemus, extrinsecus condienda est.“ Quodsi jam hic Quintiliani locus abunde testatur, quam necessaria omnino Romanis visa sit transferendi consuetudo, alter quidam ejusdem locus, ubi aequalium nimium cultum perstringit, documento est, quam inveterata ea ipsa consuetudo jam tum fuerit. Haec sunt rhetoris [4]) verba: „Majore animo aggredienda

---

1) C. 20.

2) Perquam frequentes sunt Romanorum oratores non solum locis communibns, sed etiam poëtarum versibus orationibus insertis, quem morem graeci oratores prorsus ignorabant. Cf. Quint. 1, 8, 11.

3) 12, 10, 35.

4) L. 8, pr. 22; cf. 8, 2, 20; 9, 3 pr.; 2, 5, 10. Ultimo loco haecce leguntur: „Ostendique — quam multa impropria, obscura, tumida, humilia, sordida, lasciva, effoeminata sint; quae non laudantur modo a plerisque, sed (quod pejus est) propter hoc ipsum, quod sunt prava, laudantur. Nam sermo

eloquentia est: quae, si toto corpore valet, ungues polire, et capillum reponere, non existimabit ad curam suam pertinere. — Nam et, quod recte dici potest, circumimus amore verborum: et, quod satis dictum est, repetimus: et, quod uno verbo patet, pluribus oneramus, et pleraque significare melius putamus, quam dicere. Quid? quod nihil jam proprium placet, dum parum creditur disertum, quod et alius dixisset? A corruptissimo quoque poëtarum figuras seu translationes mutuamur —. — nos melius, quibus sordent omnia, quae natura dictavit, qui non ornamenta quaerimus, sed lenocinia [1])" etc. Quantis jam rerum imaginibus et orationis cultu enituisse putamus eos oratores, qui usque ad Trajanum floruerunt, ut Haterius, Votienus Montanus, Crispus Passienus, Domitius Afer, Julius Africanus, Galerius Trachalus, Vibius Crispus, Julius Secundus, et, imperante Hadriano, Fronto ejusque asseclae et qui eloquentiam inprimis panegyricam sub principatu exercuerunt, nam quanta Plinii [2]) quidem sit flosculorum captatio, quot quantaque Senecae ornamenta oratoria deliciaeque, quis est, qui nesciat? — Praeter eloquentiam vero, in qua Romani plurimum elaborarunt, historiae, quippe quae non minus rempublicam imperiique amplitudinem augere viderentur quam eloquentia, ipsorum ardentissima excitarunt studia. Sed num haec rerum gestarum monumenta aeque ac Graecorum candida ac integra fuisse nobis persuademus? Antiquorum temporum aridis annalibus [3]) exceptis, ne in hoc quidem scribendi genere modestae deprehenduntur translationis formae. Primus Coelius Antipater [4]) majore arte usus videtur, cujus opera et Brutus in epitomen coëgit et Livius in tertia Decade certatim secutus est. Omnium vero maxime ii sane opera sua exornarunt, qui suas ipsorum res gestas litteris mandarunt, ut Aemilius

rectus et secundum naturam enuntiatus, nihil habere ex ingenio videtur: illa vero, quae utcunque deflexa sunt, tanquam exquisitiora miramur."

[1]) Sed Quintilianus, dum alios carpit, ipse in insequentibus in illud vitium incidit, cf. p. 27 sqq. — Seneca de hac re ita loquitur Ep. 114. „Quum assuevit animus fastidire, quae ex more sunt et illi pro sordidis solita sunt, etiam in oratione, quod novum est, quaerit et modo antiqua verba atque exoleta rovocat et profert, modo fingit et ignota deflectit, modo, id quod nuper increbuit, pro cultu habetur audax translatio ac frequens. Cf. Ep. 59.

[2]) Cf. Meiners. Geschichte des Verfalls der Sitten, der Wissenschaften und Sprache der Römer p. 309.

[3]) Cic. de orat. 2, 12; de leg. 1, 2.

[4]) Ib. — „Antipater paulo inflavit vehementius."

Scaurus, Lutatius Catulus, Rutilius Rufus, Sulla, Hortensius [1]), qui quantum in concionando illis deliciis luxuriatus sit, jam supra docui, Lucullus [2]), aliique permulti. His tamen non minus Cornelius Sisenna, quem Sallustius sibi proposuit imitandum, historias suas colorasse vel potius fucasse dicitur, id quod jam inde conjectare licet, quod Clitarchum effinxit, et Aristidem, Milesiarum fabularum inventorem, interpretatus est. Quid quod ipsi Ciceroni magis etiam quam in orando τὸ ἀνθηρογραφεῖσθαι placuit in geographicis libris et historicis [3])? Scribit idem ad Atticum [4]): Meus autem liber (graece de consulatu conscriptus) totum Isocrati μυροθήκιον atque omnes ejus discipulorum arculas ac nonnihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit." Quae Ciceronis de historia conscribenda sententia admodum perversa confirmatur etiam tertio loco [5]), ubi, sophistarum eloquentia concinna ac superfluente paucis descripta, ita pergit: „Huic generi historia finitima est, in qua et narratur ornate et regio saepe aut pugna describitur: interponuntur etiam conciones et hortationes, sed in his tracta quaedam et fluens expetitur, non haec contorta et acris oratio." Quodsi jam etiam Cicero hanc de historia animo conceperat opinionem, quid mirum, si, uno Caesare [6]) excepto, cujus admirabilis quaedam in narrando simplicitas est, posteriores rerum scriptores non tam veritatis imitatores, quam figurarum et multo magis translationum fuerunt captatores. Quantum quidem, ut solos principes historicorum memorem, Sallustius, qui sane in verborum et structurarum insolentia inque illa immortali velocitate Thucydidem sollicite imitatus est, in audacissime transferendo Graecum suum exemplar egressus sit, neminem ad hanc rem

[1]) Bernhardy. l. l. not. 488.

[2]) Cic. ad Att. 1, 19.

[3]) Ad Att. 2, 6; cf. de legg. 1, 2, 5, ubi haec Attici leguntur verba: „Abest enim historia litteris nostris, ut et ipse intelligo, et ex te persaepe audio. Potes autem tu profecto satisfacere in ea, quippe quum sit opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc oratorium maxime."

[4]) Ib. 2, 1.

[5]) Orat. 19.

[6]) Cf. Cic. Brut. 75; Tacit. Germ. 28. Nihilo tamen secius hac apud ipsum leguntur translationes: advolare (de hominibus), dorsum ejus jugi, ab utroque portus cornu, demissis locis, effundere sese (de hominum multitudine), barbari inflabantur, inflatius — perscribebat, ardere cupiditate, exardescere dolore, incensus calcaribus equus, radices montis, fructus lenitatis, animum effeminare, ad easdem conditiones recurrere, carpere i. e. vituperare, itinera concisa i. e. interrupta, animi incitatio, aliaeque.

eloquentia est: quae, si toto corpore valet, ungues polire, et capillum reponere, non existimabit ad curam suam pertinere. — Nam et, quod recte dici potest, circumimus amore verborum: et, quod satis dictum est, repetimus: et, quod uno verbo patet, pluribus oneramus, et pleraque significare melius putamus, quam dicere. Quid? quod nihil jam proprium placet, dum parum creditur disertum, quod et alius dixisset? A corruptissimo quoque poëtarum figuras seu translationes mutuamur —. — nos melius, quibus sordent omnia, quae natura dictavit, qui non ornamenta quaerimus, sed lenocinia[1])" etc. Quantis jam rerum imaginibus et orationis cultu enituisse putamus eos oratores, qui usque ad Trajanum floruerunt, ut Haterius, Votienus Montanus, Crispus Passienus, Domitius Afer, Julius Africanus, Galerius Trachalus, Vibius Crispus, Julius Secundus, et, imperante Hadriano, Fronto ejusque asseclae et qui eloquentiam inprimis panegyricam sub principatu exercuerunt, nam quanta Plinii[2]) quidem sit flosculorum captatio, quot quantaque Senecae ornamenta oratoria deliciaeque, quis est, qui nesciat? — Praeter eloquentiam vero, in qua Romani plurimum elaborarunt, historiae, quippe quae non minus rempublicam imperiique amplitudinem augere viderentur quam eloquentia, ipsorum ardentissima excitarunt studia. Sed num haec rerum gestarum monumenta aeque ac Graecorum candida ac integra fuisse nobis persuademus? Antiquorum temporum aridis annalibus[3]) exceptis, ne in hoc quidem scribendi genere modestae deprehenduntur translationis formae. Primus Coelius Antipater[4]) majore arte usus videtur, cujus opera et Brutus in epitomen coëgit et Livius in tertia Decade certatim secutus est. Omnium vero maxime ii sane opera sua exornarunt, qui suas ipsorum res gestas litteris mandarunt, ut Aemilius

---

rectus et secundum naturam enuntiatus, nihil habere ex ingenio videtur: illa vero, quae utcunque deflexa sunt, tanquam exquisitiora miramur."

[1]) Sed Quintilianus, dum alios carpit, ipse in insequentibus in illud vitium incidit, cf. p. 27 sqq. — Seneca de hac re ita loquitur Ep. 114. „Quum assuevit animus fastidire, quae ex more sunt et illi pro sordidis solita sunt, etiam in oratione, quod novum est, quaerit et modo antiqua verba atque exoleta rovocat et profert, modo fingit et ignota deflectit, modo, id quod nuper increbuit, pro cultu habetur audax translatio ac frequens. Cf. Ep. 59.

[2]) Cf. Meiners. Geschichte des Verfalls der Sitten, der Wissenschaften und Sprache der Römer p. 309.

[3]) Cic. de orat. 2, 12; de leg. 1, 2.

[4]) Ib. — „Antipater paulo inflavit vehementius."

Scaurus, Lutatius Catulus, Rutilius Rufus, Sulla, Hortensius[1]), qui quantum in concionando illis deliciis luxuriatus sit, jam supra docui, Lucullus[2]), aliique permulti. His tamen non minus Cornelius Sisenna, quem Sallustius sibi proposuit imitandum, historias suas colorasse vel potius fucasse dicitur, id quod jam inde conjectare licet, quod Clitarchum effinxit, et Aristidem, Milesiarum fabularum inventorem, interpretatus est. Quid quod ipsi Ciceroni magis etiam quam in orando τὸ ἀνθηρογραφεῖσθαι placuit in geographicis libris et historicis[3])? Scribit idem ad Atticum[4]): Meus autem liber (graece de consulatu conscriptus) totum Isocrati μυροθήκιον atque omnes ejus discipulorum arculas ac nonnihil etiam Aristotelia pigmenta consumpsit." Quae Ciceronis de historia conscribenda sententia admodum perversa confirmatur etiam tertio loco[5]), ubi, sophistarum eloquentia concinna ac superfluente paucis descripta, ita pergit: „Huic generi historia finitima est, in qua et narratur ornate et regio saepe aut pugna describitur: interponuntur etiam conciones et hortationes, sed in his tracta quaedam et fluens expetitur, non haec contorta et acris oratio." Quodsi jam etiam Cicero hanc de historia animo conceperat opinionem, quid mirum, si, uno Caesare[6]) excepto, cujus admirabilis quaedam in narrando simplicitas est, posteriores rerum scriptores non tam veritatis imitatores, quam figurarum et multo magis translationum fuerunt captatores. Quantum quidem, ut solos principes historicorum memorem, Sallustius, qui sane in verborum et structurarum insolentia inque illa immortali velocitate Thucydidem sollicite imitatus est, in audacissime transferendo Graecum suum exemplar egressus sit, neminem ad hanc rem

---

[1]) Bernhardy. l. l. not. 488.

[2]) Cic. ad Att. 1, 19.

[3]) Ad Att. 2, 6; cf. de legg. 1, 2, 5, ubi haec Attici leguntur verba: „Abest enim historia litteris nostris, ut et ipse intelligo, et ex te persaepe audio. Potes autem tu profecto satisfacere in ea, quippe quum sit opus, ut tibi quidem videri solet, unum hoc oratorium maxime."

[4]) Ib. 2, 1.

[5]) Orat. 19.

[6]) Cf. Cic. Brut. 75; Tacit. Germ. 28. Nihilo tamen secius hae apud ipsum leguntur translationes: advolare (de hominibus), dorsum ejus jugi, ab utroque portus cornu, demissis locis, effundere sese (de hominum multitudine), barbari inflabantur, inflatius — perscribebat, ardere cupiditate, exardescere dolore, incensus calcaribus equus, radices montis, fructus lenitatis, animum effeminare, ad easdem conditiones recurrere, carpere i. e. vituperare, itinera concisa i. e. interrupta, animi incitatio, aliaeque.

paullo accuratius attendentem potest effugere. Quam inepta adeo et prorsus futilis eorum sit comparatio, modo paululum ab externa specie ad mentem recedas, ea, quae statim ex Sallustio allaturus sum, plus quam satis est, declarant. In belli enim Iujurthini prooemio statim ab initio haecce sunt inflexa: „queritur — genus humanum, quod — regatur; dux atque imperator — animus est, qui, ubi ad gloriam virtutis via grassatur, abunde pollens potensque et clarus est neque fortuna eget; quippe quae probitatem — neque dare neque eripuere cuiquam potest. Sin captus pravis cupidinibus ad inertiam — pessumdatus est perniciosa lubidine paullisper usus: ubi — vires, tempus, ingenium defluxere: naturae infirmitas accusatur: suam quippe culpam actores ad negotia transferunt." Sed quid plura, quum, id quod nemo non videt, si quis ea, quae in Sallustio non proprie dicta sunt, persequi vellet, totus fere Sallustius esset notandus. Nec major vero inter Herodoti simplicitatem et Livii lacteam ubertatem, id quod Quintiliano placuit [1]), intercedit affinitas, quum hic non injuria, viro docto, Wachsmuthio [2]), tantopere verbis luxuriari videatur, ut, qui in recensendo hoc auctore elaboret, ante omnia rerum gestarum veritatem ex vocabulorum festivitatibus sermonisque amplitudine eruere debeat. Quod Livii ingenium non mirabere, si tecum consideraveris, hunc auctorem ex rhetorum ac philosophorum scholis ad historiam scribendam se applicasse nec tam Polybii in indagandis factorum causis sagacitatem assequi voluisse, quam sophistarum in narrando expromere praecepta. Et ad majorem etiam in mutandis vocabulis licentiam prolapsi sunt Vellejus Paterculus, inprimis Cornelius Tacitus, Curtius Rufus, Suetonius, Florus, Justinus, ut posteriores taceam, qui, si ipsorum dictionem respicias, prorsus nullo numero atque honore sunt, unde in aperto est, illam Aristotelis [3]) legem: „ἑτέρα λόγου καὶ ποιήσεως λέξις ἐστὶ", ab optimis quidem Graecorum scriptoribus anxie servatam, ab omnibus fere Latinorum et oratoribus et narratoribus certe in transferendo esse migratam. Sed quum oratorum et historicorum tanta sit in commutandis vocabulis et audacia et frequentia, inde conjectare licet estque consentaneum, poëtas, quorum praecipue est, illum orationis cultum in imaginibus et traductionibus positum adsciscere, in ea re non fuisse verecundiores.

---

[1]) 10, 1, 101.
[2]) Cf. Baehr. Gesch. der röm. Litt. p. 400.
[3]) Rhet. 3, 1.

Quid quod jam antiqui illi poëtae, ut Livius Andronicus, Ennius, Naevius, Paccuvius, Attius, — nam aliorum permultorum aut perpaucae aut prorsus nullae supersunt reliquiae [1]), — ceteroquin horridi atque incompti, in verborum exterminanda proprietate pro temporum ingenio et litterarum conditione mire fuerunt audaces? Sunt tamen horum poëtarum quidam gradus, nam apud Ennium rariores [2]), plures apud Naevium, etiam frequentiores apud Paccuvium, omnium plurimae inveniuntur apud Attium immutandi formae. In comoedia, quae tamen propter argumentum suum omnino rarius verba deflectere cogitur, pro sua cujusque aetate similis est ordo Ennii, Naevii, Novii, probatissimi Atellanarum scriptoris, Titinii, Turpilii, Caecilii Statii, L. Pomponii, Afranii, Laberii, multorum mimorum auctoris. Apud Plautum praeter creberrimos lusus verborum proprie enuntiatos, frequentes quoque translationes leguntur, pauciores apud Terentium. Quum igitur comici et antiqui Romanorum poëtae tantopere ament voces prima ac vera sua significatione exuere, ita ut rarius quidem, at vix minus libere quam posteriores in nostra re versati sint, quid de aureae aetatis epicorum luxurie, de lyricorum, inprimis elegiacorum, cultu ac nitore dicam [3])? Constat inter omnes, quantum Ovidius rhetorem agat et blateret et, quae proxima sunt verba, repudiet pro iisque longe repetita sumat; quis est, quem fugiat, quantum Virgilius ab Homerico illo candore recedat, id quod tamen ipsum in causa fuit, ut hic poëta et inter Romanos et medio aevo ubique tam assiduos lectores imitatoresque nactus sit. Omnium vero plurimum in transferendo Tibullus et Propertius sibi indulserunt, quorum hic graeca sua exemplaria, Callimachum et Philetam, quantum excesserit, statim primo adspectu in oculos incurrit.

Postquam ad hunc locum ventum est, jam quaeritur, unde acciderit, ut Graecos quidem tantopere oratio pura et integra delectaverit, Romanorum vero et poëtae et oratores atque historici jam tum, quum ipsorum sermo horridus atque incultus erat, adeo propensi fuerint ad propria vocabula loco suo movenda et substituenda pro iis aliena [4])?

---

[1]) Cf. Bothe: Poetae scenici Latinorum.
[2]) Cf. Cic. orat. 11; de orat. 1, 34.
[3]) Haec res olim jam J. C. Theod. Ernestium advertit, qui de elocutionis poëtarum Latinorum Vett. luxurie, Lips. 1802. disputavit, quam luxuriem sibi invenire videtur in abusu mythologiae, in comparationibus, in descriptionibus et imaginibus, in variationibus, in tropis et figuris, in epithetis.
[4]) Recte Bernhardyus in Grundlinien zur Encyklopädie der Philologie p. 91: „Einen vorzüglichen Gesichtspunct

Etsi me non praeterit, quantam difficultatem ea quaestio quantamque habeat fusius disputandi materiam ac necessitatem, tamen, quia haec explanatio apprime huc facit, prima certe ejus quasi lineamenta nunc mihi ducenda sunt, quae vel ipse aliquando effingam vel quae alius quispiam, qui eandem rem sibi sumserit tractandam, sequatur. — Bene Cicero docet, ut supra vidimus, duplicem esse causam transferendi, aut inopiam sermonis et necessitatem aut delectationem jucunditatemque. Inopiae causa, id quod sponte apparet, eae linguae verba maxime immutent necesse est, quae parum copiosae ac locupletes sunt adeoque saepius, si propria desunt, ad aliena debent transilire. His linguis Graecorum sermonem non esse accensendum, quippe qui non solum vocabulorum copia abundet, sed etiam formis grammaticis, personis, numeris, modis, temporibus, non est, quod nunc diffusius dicam. Quas divitias suas Graeci non extrinsecus arcessiverunt, id quod in recentioribus linguis videre licet, sed ex verbis nativis profecti, suis ipsorum viribus novam adjectivorum et substantivorum prolem finxerunt, in qua tantum abest, ut in Orientalium modum acquieverint, ut ex his formis etiam alia suboles mox pullulaverit, ne qua subtilior alicujus notionis variatio voce sua propria careret. Quod vocabula novandi et cogitatis aptandi studium ne ultimis quidem temporibus apud Graecos cessavit, unde illius sermonis mira vis et vigor dexteritasque, novas notiones novis verbis exprimendi, perspici potest. Neque tamen sola hujus linguae innata illa et insita felicitas effecit, ut tanta redundaret et vocabulorum copia et flexionum multitudine ac diversitate, sed aeque multum ad hanc rem variae Graecorum gentes valuerunt, quae, quasi unius corporis disjecta membra, in una eademque re elaborabant et, quae suis institutis ac moribus aut excogitaverant aut accommodaverant, jamjam, ut ceteroquin, sic in effingenda conformandaque lingua, in medium afferebant. Nam antequam Atticorum dialectus vigeret, permulti et rerum narratores et poëtae ac philosophi in reliqua Graecia exstiterant. Quantopere hoc nomine Romani Graecis inferiores sint, nemo non videt. Quorum sermo, quum una urbe continetur, neque illam formarum grammaticarum multitudinem neque vocabulorum thesauros sibi poterat comparare. Accedit, quod ea, qua Ennius, Varro, Lucretius, Plautus,

---

zeigt die Bildlichkeit der Rede (oratio figurata), worin Römer und Griechen von einander gänzlich abweichen und wir in das zarteste Gewebe der beiderseitigen Anschauung geleitet werden. Dort erscheint ein geringeres Vermögen zum ethischen Ausdruck, der besonders seit den Kaisern sich immer mehr verliert, den Griechen aber einen einleuchtenden Anspruch auf Klassizität und stete Genießbarkeit ertheilt; hingegen ein Talent für den tropischen und übertragenen Stil, der in wirklichen stili nasum (nach Pl. H. N.) ausartete."

Cicero[1]), insignes fuerant verba novandi audacia, mox deposita est, quin adeo et formae et vocabula egregie et considerate ab antiquis ficta postea rursus ex sermone sunt expulsa[2]). Unde factum est, ut Romani paupertate sermonis laborarent et ob id ipsum uni voci plures significationes subjicere cogerentur[3]). Propter quam linguae egestatem Cicero[4]) et qui praeterea[5]) sermonem latinum ad tractanda argumenta philosophica maxime esse idoneum sibi persuaserunt, quamvis sane notabilis in eo est singulorum verborum subtilitas ac constructionis juncturaeque firmitas atque constantia[6]), egregie errasse censendi sunt. Desunt enim Romanis, ut hoc unum moneam, ea ipsa nomina, quae vel maxime a philosophis desiderantur, ut *τὸ ὄν*[7]), *οὐσία*, *ἰδέα*, *ἔννοια*, *πρόληψις*, nam naturae notio est

---

[1]) Acad. 2, 7, 25. nova sunt rerum novarum facienda nomina aut ex aliis transferenda. Quod si Graeci faciunt, qui in iis rebus tot jam saecula versantur, quanto id magis nobis concedendum est, qui haec nunc primum tractare conamur." Quae nomina Cicero primus formaverit, vd. ap. Meiners. l. l. p. 293.

[2]) Quint. 8, 3, 30: „Fingere — Graecis magis concessum est, qui sonis etiam quibusdam et affectibus non dubitarunt nomina aptare: non alia libertate, quam qua illi primi homines rebus appellationes dederunt. Nostri autem in jungendo aut in derivando paulum aliquid ausi, vix in hoc satis recipiuntur. Nam memini juvenis admodum inter Pomponium ac Senecam etiam praefationibus esse tractatum, an gradus eliminat, in Tragoedia, dici oportuisset. At Veteres ne expectorat quidem timuerunt. §. 33. Multa ex Graeco formata nova ac plurima a Sergio Flavio, quorum dura quaedam admodum videntur, ut ens et essentia: quae cur tantopere aspernemur, nihil video, nisi quod iniqui judices adversus nos sumus, ideoque paupertate sermonis laboramus" etc. Cf. 10, 6, 32: — „tanquam consummata sint omnia, nihil generare audemus ipsi, cum multa quotidie ab antiquis ficta moriantur." Verumtamen Romanorum scriptores quum jam Quintiliani aetate tantopere nova fingere metuerent, linguam quam dicunt vulgarem non eodem timore fuisse praepeditum, quominus vocabula novaret, testatur eorum verborum apud Dietzium „Grammatik der romanischen Sprachen" p. 7—36 index, quae in linguis recentioribus recurrunt. Cur Romani haec linguae rusticae nomina non in rem suam converterint, vid. ap. Westerm. l. l. t. 2, 127.

[3]) Cf. res, ratio, conditio. Omnino vero eorum vocabulorum, quibus saepius Latini utuntur, vix ullum est, quod non ad alienas significationes traducatur. Vd. Quint. 12, 10, 34. „His illa potentiora, quod res plurimae carent appellationibus, ut eas necesse sit transferre, aut circumire: etiam in iis, quae denominata sunt, summa paupertas in eadem nos frequentissime revolvit: at illis (Graecis) non verborum modo, sed linguarum etiam inter se differentium copia est." Similes querelas jam Lucretius habet 1, 137; 1, 831; 3, 260.

[4]) De orat. 3, 24; cf. fin. 1, 3; Tus. 2, 15; 3, 5.

[5]) Cf. Bernhardy. Grundriß der röm. Litt. not. 5.

[6]) Vd. ib.

[7]) Senec. Ep. 58.

nimis generalis, et essentia ac species, quarum illa jam Cicero, teste Seneca[1]), *οὐσίαν* interpretatus est, quum hac *ἰδέαν* reddiderit, non sunt receptae in sermonis consuetudinem, ab altera vero parte *φυσικὸς*, *αἰσθητὴς*, *αἰσθητικὸς* etc. prorsus non erant denominata, id quod jam Lucretium commoverat, ut sensifer, sensilis fingeret, et posteriores, ut, quum hae notiones vix jam circumscribi possent, sensatus, sensibilis, sensibilitas, sensibiliter, sensiculus, sensificare, sensificus, sensualis, sensualitas adjicerent. Quae vocabulorum inopia inde maxime exorta est, quod Romani difficillimi[2]) erant ad duplicanda verba, qua in re Graeci nescio an omnes populos vincant[3]). — Quodsi vero primum linguae egestas Romanis saepius a principe vocabulorum significatione deflectendi injungebat necessitatem, altera ipsis transferendi causa, nisi fallor, ex manca et imperfecta naturae cognitione aut imitatione nascebatur. Constat inter viros doctos, ne poesin quidem Graecorum, quae tamen nequaquam verborum granditate aut sententiarum sublimitate destituebatur, naturae fines transiisse, nedum historiam et eloquentiam, quibus vera subest disserendi materia. Ut jam singula verba quaedam rerum imitationes ab Aristotele[4]) vocantur, sic non minus tota structura linguae graecae res non tam exprimebat quam adumbrabat, rerum actiones vel passiones earumque statum non tam describebat quam depingebat, non tam cogitationi subjiciebat quam mentis oculis quasi repraesentabat. Unde usu venit, ut in graeco sermone omnium maxime participia et infinitivi usurpentur, quibus formis expositio quaedam vel descriptio ipsam rerum, quae describuntur, similitudinem referre easque res non tam in memoriam revocare quam in modum tabulae pictae menti offerre et quasi spectandas exponere videtur. Vix dici potest, quam perspicua sic rerum species legentibus oboriatur, quam vere, quaecunque subtili illa ac minuta naturae contemplatione scrutationeque ante collecta sunt, animi attentioni repraesententur. Ex hac vero Graecorum rerum naturam et cognoscendi et effingendi assiduitate atque studio nata est illa in scribendo veritas ac pulchritudo, in agendo decor et temperantia, in tota vita concentus quasi atque consensus. Nulla alia gens tam subtiliter perspexit, quid esset decorum, quid conveniret, quid in quacunque re factu opus esset, ne hominum sensus offenderentur. Quam igitur in pictura, in sculptura, in statuaria, eandem in poesi, in eloquentia, in historia expresserunt Graeci veritatis effigiem; quippe qui, quam externarum rerum speciem conspexerant, eandem et in scriptis suis ostendere anniterentur, quem externarum rerum ordinem ac virtutes, quas similitudines aut attributiones observarant, easdem et litteris mandare orationisque aut brevitate aut majore quasi exaedificatione et exaggeratione assimilare gestirent. Quae quum ita sint, consentaneum esse videtur, Graecos, nisi peculiaris quaedam causa vel necessitas aliam dicendi aut scribendi legem imponeret, summo opere fuisse enisos, ut suam cuique rei et personae[1]) appellationem vel invenirent vel assignarent, contra maxime cavisse, ne aliena et longe repetita similitudine rem praesentem illustrarent et distinguerent. Insignis inde Graecorum in transferendo nasci debuit modestia, abs qua Romani longissime recedunt, propterea quod non naturae viam secuti sunt, sed totos reipublicae hominumque societati et faciendae et tuendae sese dederunt[2]). Dum Graeci usquequaque sensibus inserviunt, quanquam in hac naturae imitatione minime ad supera quoque atque coelestia sese attollere recusabant, Romani, et natura et fabularum aut commentis aut veritate spreta, uni reipublicae nati videbantur[3]), in quam, quidquid studii et operae et facultatum habebant,

---

1) Ib. 4; cf. Quint. 8, 3, 33.

2) Si haec et similia verba copulata consideres, ut tardigerulus, pudoricolor, triseclisenex apud Gell. 19, 7, sexcentoplagus, sesquiopus, dentilogus, scrofipascus al. apud Plautum, vitilitigator Cat. ap. Plin., non potes, quin Bernhardyo adstipuleris l. l. not. 4. „Von dieser Seite also bestätigt sich durchaus Bakons Beobachtung, die von Jones Poes. Asiat. Comment. p. 22. auch in den asiatischen Sprachen bewährt gefunden ist, daß die kunstliebenden Völker Hang zur Composition beweisen, die practischen sich in einfachen Wörtern gefallen.“ Cf. Quint. 1, 5, 68.

3) Omnium tamen audacissimi Aeschylus (*κομποφακελοῤῥήμων* Ar. Ran. 839) et Aristophanes in vocabulis copulandis fuerunt.

